

V
658





NOVUS ORBIS.

IN QUO,

quæcunque

de

NATO ET CREATO

SERIO ET JOCO

Sciri vel desiderari possunt,

INUSITATA RERUM VARIETATE ET MIRA ELOGIORUM JUCUNditate omnia proponuntur.


Liber lectu dignissimus.



Nunc primùm ad Multorum petitiones publici Juris factus.

Authore

D. HELVICO DIETERICO, Medico, Hesso.



ARGENTORATI,

Typis WILHELMI CHRISTIANI GLASERI, *Academiæ Typographi.*

Anno M. DC. XXXI.



ILLVSTRISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO GEORGIO,

HASSIAE LANDGRAVIO,

Domino suo clementissimo, Perennitatem!



TANTA hodie, Illustrissime PRINCEPS, in tota rerum universitate orta est intemperies, quantam etiam vel ad seculi exitum deploratura sit posteritas; corrigatur ista & hodie quantùm possit, tantæ procul dubio, mala totius universi constitutio, pervicaciæ erit, ut verear, ne clanculum per secula sit occultura venenum, ex quo vel ipsam vitam, ceu hydrophobi aquam, fugituri sint clam morsi, qui post hanc vitam aliam vixe

rint, ni aureum forſan vivendo ſuperaverint ſeculum, idquod futuris libenter concedimus, nobis ne optamus quidem. Ita nempe, tot vel tot annorum curriculo, ex Martis intemperie, laboravit rerum univerſitas; cui & ſtudiorum Univerſitates collacrymatæ; nec dum aut alterantem, aut lacrymas abſtergentem, ubi inveniant, ſciunt Medicum Politicum, nî Divinum mox reperturæ aut experturæ ſint. Sed relictâ hâc macrocosmicâ ſanie; aliud in Microcosmo jam nobis negotium faceſſit morborum indomitum, medicinæ ergaſtulo incluſum, cacoëthes, quod ubi dudum per remediorum Galenicorum, odioſo ac otioſo vulgo ſic dictorum, forcipes ſanitatis nonnulli fabri ad nutum ſibi extrahere non ſunt viſi, cautiori manu adprehenderunt forcipes chymicas, ijsque indomitas hactenus domuerunt morborum beluas! ſed quà domare fas fuit! tanta ſiquidem malorum nunc indies crudelitas, ut inaudita etiam machinarum genera, ad profligandos valetudinis vaſtatores, invenire ſit neceſſe: & quidem Terra, fœcundum illud naturæ hoſpitium

tium variam hactenus arti medicæ præstitit operam, cum suis concivibus, animalibus, vegetabilibus, mineralibus, metallis è Galenicorum, Chymicorum, Empyricorum, penu depromtis, variâq; præparationis veste indutis: quoniam igitur hodiè eò ineptiarum deventum est, ut quàm plurimi novo vestium genere gaudeant; inter medendi proceres nemo mihi vitio vertet, qui novo stellante vestitu remedia nonnulla induere conor: nec adeò forsan ineptè: est quippe cœlum, quod terræ, ejusque dictis concivibus, indit vim medicam, quam negaturus est nemo: hinc qui cœli, ejusque Planetarum, specificum ac peculiare in tria sublunaria, animale, vegetabile, minerale, regna, imperium nôrit, qui item triplicis regni subditorum virtutem medicam, cum præparandi modo chymico, compertam habuerit is, non dubito, quin facili indagine percepturus sit quomodo veram, ex herbis in specie, sub certo suo cœli positu, collectis, nec ex his tantùm, sed & ex mineralibus ac metallis, singulis certo suo astro subjectis, essentiam, adnuente quoque cœli influxu,

extrahere, inque uſum tandem medicum trahere debeat: hoc nî fallor, aſtrali, ac verè chymico remediorum injecto freno, cicurabuntur crudeliſſimæ morborum beſtiæ! ſed nolim nunc de his aut iſtis heic factam concionem! Hoc tantùm addo; dudum me legiſſe; *Aſtralibus morbis, aſtralia quærenda eſſe remedia*; apud paucos autem hactenus inveniſſe, quæ ſint illa verè aſtralia remedia, quóve ſiugula modo paranda? In penitiorem hujus rei conſiderationem quando ivi, inveni apud me (neſcio an apud omnes bonum hoc inventum) morbis aſtralibus, certis Planetis, vel ſimpliciter vel mixtim ſubjectis, aſtralia certis item Planetarum, morborum Præſidum, aſtris ſubjecta, remedia, ſub influentium ſtellarum fortitudine, colligenda, præparanda, adhibenda eſſe: num bene, ſentiant & experiantur, qui velint: periculum hactenus factum in multis, & quidem absque periculo! Ego ſaltem, materiam hanc mihi ita viſam, jucundam lectuque forſan haud indignam, pro Oratione inaugurali elegeram, unde tanquam ex rudi lanâ, præſentem excerpſi

Discursum, è quo, tanquam ex mediâ fenestrâ patebit, quid non tam ex macrocosmicâ, quàm microcosmicâ, regionibus singulis erraticis stellis subsit, & quid vel boni vel mali in medicinâ physicâ inde sperare liceat: ita procul dubio, primoribus saltem labris degustabitur, quomodo astrali morbo, astrale quærendum sit remedium? Generalis, fateor, hanc in rem, præsens est Discursus encomiasticus, specialis tamen nonnullis hinc inde scatens: quis aut qualis nunc sit, scio autem in remissæ qualitatis prædicamento esse; ad Tuas, ô Illustrissime Princeps, Gratiæ fores pulsat: sine quæso intrare pulsantem: nec enim meros Heroës, sed & simplices abjectósque quandoque excicipere solet Gratia Principis. Me certè dudum titubantem, tandem hæc animavit audacia, ut confidentiore nunc spe nixus, obferam, quod obfero: nam, si Divis etiam, tenui quandoque farre litare liceat, non, spero, invidiæ mihi erit, qui tanto, quem Divi instar colendum suscipio, Principi, tam exiguis, ex tenui scientiæ sacculo excussis, crudioris ac ru-

 dio.

dioris farinæ pagellis, tanquam farre, litare conor. Divos equidem diva, magnos magna decent, decebat & Te, ô magne Princeps, (quod nomen tuum, vel olim inter Divorum nomina numeratum iri ominor) quod magnum sacrúmque esset, sed nil heic sacri, nil magni, omne quod est, parvum, immò & multis forsan profanum est; sed nec aliter esse poterat, quàm ita, ut præsens subgerebat materies; quo nomine perterritus, diu nolui, ut res profana ac tenuis veniret ad excelsas excelsi Principis manus: sed quidquid sit, seu profanum seu tenue sit, oportebat aliquid adesse, quo, non tam clementissimo meo Principi, Paterni regiminis successori, submisè gratularer, quàm simul humilem observantiam, ex eâque debitam servitiorum fidem, etiam publicè testatam facerem. Magnam fateor gratiam, quæ ex *Majoratûs*, ita dicti, Medici, in Celsitud. T. Academiâ, confirmatione, clementer me excepit: pro quâ quod hoc ipso, ubi ad officium nondum adspiro, tempore, reponerem, non habui, præter vilem hanc chartam; quam haud aliter spero,

mi

mi clementiſſime Princeps, ſuſcipies, ac Artaxerxes aquam, volâ gratulantis Sinætæ Perſæ oblatam: cum voto: REGNA FELICITER! Ita curſim è muséo ARGENTINAE, KAL. Martias, cIↄ Iↄ CXXVII.

Illuſtriſs. T. Celſit.

ſubjectiſs.

Cliens

Helvicus Dietrich/ *Med. Lic.*



Miraberis,

MI LECTOR,



LANETAS meos! noli: sub & ante canem nil obferebatur aliud, quod esset loco medicaminis ingenÿ! è quo si boni nil prodiit, cogitabis, non licere cui, sub caniculari æstu, esse tam felici, ut, quod ex ingenio tum pariat, merum sit nectar, mera ambrosia! ita mente titubat Procyon! Hujus tamen tempus, cùm Patavio fortè ad Danubium & Nicrum, nescio ob quos Vulcani labores, sero tum negotio intermissos, forsan & ob ultimam studiorum Insulam, nescio iterum quibus invisam factam, me vocaret, requirebat, ne, tanquam claudus sutor post fornacem sedens, nihil agerem, aliquid aliud, quod agerem; in-

cidi

cidi tum in depositos veteres Poëtas, Astrologos, Chymicos, quorum hic illam, ille hanc, iste aliam, paucas materias, ad coercendos in opusculum Planetas, non sine insigni, in re variâ potissimùm medicâ, usu fructu, subgessit. Materiam heic vides publicam autem non vidisses, nec enim luce dignam, tanquam upupam aut vespertilionem, æstimassem unquam, nisi, fautorum atque amicorum hortatu suasúque, ad edendum fuissem allectus; nec & his morem gessissem, nisi Mæcenatum meorum observantia, aliquod ingenioli à me postulasset specimen, quod in præsenti Planetarum elogio dare non recusavi· quod do, tenue est; sed ex tenui crassóve ligno, queî potuit exsculpi Mercurius? unde non Mercuriale aliquod ingenium, sed tenuitatem meam tibi ostendo Si Saturnus tibi placet, bene est, ita fiet forsan, ut & cæteri Planetæ, æquali in posterum lance cum Saturno ponderari queant! ob præli enim festinationem, nec simplicia omnia sub singulos quæque suos Planetas referre, nec signaturam, analogiam, medicinam astralem, alia, ad lubitum indicare licuit forsan & ambages illæ non æquè omnibus fuissent acceptæ: nec & tædium

dium

dium quis facile capiet, qui rem unam ſub varÿs quandoque Planetis repetitam reperiet: quia enim corpora naturalia non ſunt ſimplicisſima, ſed ſub variis entibus variè compoſita, ideò nec unum ſimplicem, unius aſtri, ſed variorum varium, ſublunaria iſta ſentiunt influxum: quare planeta hic in hoc ſubjecto, hanc, ille in eodem aliam eſſentiam aut naturam ſibi attribuit Sin autem, cupide Lector, nec Saturnus nec alÿ, nec quidquam omninô tibi heic placeat; age; deſtillabimus ex omnibus impresſis planeticis chartis oleum paryraceum, curaturi cum eodem gangrænas, fiſtulas, ſcabies: ita peſſum ibunt mei Planetæ cæleſtes, (quo interitûs terrore & terreſtres reliqui perculſi, apud noctuas nigris in antris latendo manebunt) avolaturi nempe ex aëre in Recipientium nubes, nullámque poſthac merituri aut lucem aut famam, quam alioquin nullam ſibi ſpondent Forſan & hoc nomine nullos metuere licebit Zoilos! Virtuoſum enim ac bonum quod eſt, invidiæ ſolet experiri virtutem, quam, meo metu, præſens hæc vix ſentiet opella, virtuoſi boni venenestia!

Tu

Tu nihilominus,

BENEVOLE LECTOR,

S*Eu virtutem, ſeu vitium heic fortean offenderis, mihi fave, qui ipſe & tibi, non tam faveo, quam ſervio. Interim, ſi velis, hæc*

LEGE, ET, QUID INSIT,
JUDICA!

Exarat. Tübingæ, ſub Procionis aſtro, 4. Id Jul. 1626.

T. Servitor

Hel, Dietrich/ Heſſus.

AD



AD AUTHOREM.

ANAGRAMMA ENCOMIASTICUM

HELVICUS DIETERICUS.
HIC USU SYDERE CLUET.

SI natura valet multùm, valet Ars quoque multùm,
Usus at Artificem solus in arte facit.
Assiduo ergò usu felici HIC SYDERE tandem
Artis & ingenij dignus honore CLUET!

Georg. Faber D. Illustriß. Aulæ Butzbac. p. t. Med. ordin.

Butzbachij. 4. Novemb.

Anno:

MeDICIna VItæ & sanItatIs nVtrIX.

PaX optata reDI, toto beLLVM eXeat orbe.

AD

AD CL. V.

DN. HELVICUM DIETERIDUM MED. LICENT. AMICUM MEUM INTER PAUCOS.

NEscio quis prisci Sapientum temporis annis
Mundum non unum dixit, at esse duos.
Turba Magistrorum multis rationibus usa,
Hoc negat in totum, *nec putat esse duos:*
At meus Helvicus testatur judice sensu,
Et magnum & parvum, scilicet esse duos.
I nunc, & mundum qui credis firmiter unum,
Cum ratione tuâ disce manere domi.

Johannes Ludovicus Gans,
Francus.

ALIUD EIDEM.

MIror quòd vivas, quia miror, vivo quòd ipse,
Usq; adeò terras pessima quæq; manent.
Atra lues, metuenda lues nos undiq; cingit:
Non miror; cinxit, jam fugitiva citò.
Quid non Annonæ nobis fastidia vincli?
Non miror; vincla hæc sunt arbitura procul.
Si novus his miles successit finibus hospes:
Non miror; neq; nos damna proinde premēt.
Indulge Charidos quiddam: non: talia miror:
Vatibus interdum vox inopina fluit.
Interea, quia Tu, lectissima Portio nobis,
E terrâ ad Cœlum dirigis omne tuum:

Forsi-

Forsitan hoc dudum vidisti, cuncta supernè
Ponant, quod melius, deteriora negent.
Esto etiam! Vulgus non ista capessere cuncta:
Quid tum? Nam vulgus, non nisi vulgus iners.
Errones quicunq; suis, licèt impete dio,
Immiscet Fastis, hunc furibunda cohors
Erronem vocat, & toto reprehendit in orbe;
Et tamen hæc nescit, ipsa quòd error eat:
Imò, si saperet, non tot, simul atque peritis,
Proderet errorem tam miseranda suum.
Tu, THEODORE, tuos pertexas, opto, labores:
Rejiculæ diris semper habentur oves
Verùm quid moneo? monuit Te Magnus Jova:
Hoc aliâs nunquam fortè pateret Opus.

Animitùs sic gratulatur

Johannes Paulus Crusius.

Ad Authorem, Virum Clarissimum.

Q*Uàm scitè dixtî*, Patrui & Patris æmule! *Nullus*,
Qui sapit, ingenuum te negat esse virum.
Nam, licet erranteis interq; loquare Planetas,
Non erras, Patriæ Tu nova Fixa tuæ.

Johann-Michael Moscherosch.
P. M.

IN-

INGRESSVS AD PLANETAS COELESTES.

ERubescere debebam (Auditores-Lectores, Qvoti-Qvales-Qvanti, o o. laudatissimi benivolentissimi!) Erubescere, inqvam, debebam, qvi tam sordidam Ingenii Vestem indutus, sordido Ingenii palliolo tectus, in splendidum hoc INGENIORUM THEATRUM prodij! Erubescere debebam, qvi *sine lege aut ratione* aliqvibus heic Verba videbor facturus! Erubescere debebam, qvi ex tam Vacuo SCIENTIÆ DOLIO, inter tot tacita, sed Eruditionis plena, Dolia, solus Ego heic edam Sonum! Miror, tantam me animasse audaciam! Vix igitur abest, quin ipso statim in limine, præ Verecundiæ rubore, obmutescam! Sed qvid erubescerem? quid obmutescerem? Vidi

Signatura 1. a Vacuo Dolio sonāte.

2. ab Ave jejunâ canente.

nuper, ſplendidas inter Aves, abjectam Picam, (an Picæ ſimilem Avem?) Cibo Vacuam, Cantu nihilominus ſuo ſpontè extollentem Collum! Vidi, inter Vacuo factum Ventre Cantum, prominentiori ſimul roſtro, de Cibo ſibi proſpicientem! Qvidnì E. & mea DOCTRINÆ INOPS PICA, inter Vos tam ſplendidos (quicũque eſtis) VIROS, Raræ Doctrinæ, Rari Candoris AVES, tenui, Diſcurſoriæ q. Orationis, Cantu, Collũ extollat? Quidnì & inter Vacuâ fuſum Minervâ Sermonem, de ulteriori, ex pleniſſimo Veſtrûm Scientiæ, Doctrinæ, Gratiæ, Penu, promẽdo ſibi Eruditionis ac Honoris Cibo, proſpiciat? Ita fiet forſan, uti Ingenioli mei Avicula, ut ſuo, ita Veſtro, Nutu, Auſpicio, ſaturata, in altum elatis Doctrinæ Alis, plumis potius, ſanè qvàm immaturis, ad proximum, qvem luſcis q. per trãſennarum nebulas, oculis adfore conſpexerit, Qvietis Locum, tamqvam ad tutum aliqvem Portum, advolatura, Veſtræq; ſemper memor manſura ſit GRATIÆ! Ratum cupit eſſe VOTUM! Cujus nixu, & nunc Veſtrûm omnium, quotquot animo & adeſtis & favetis, Silentij favorem, laxandi levandique animi cauſâ, optat, uti Cantum, qvem ceu noviter,

ita ruditer, de Cœlicâ & Chymicâ Medicinâ, in ipso Nidi Vulcanij limine, præmeditata est, læto ore canere qveat. Adeste, quæso, & cernite; qveîs

--- Os sublime datum, COELVMq; tueri!

Adeste, quæso, & favete: qveîs

Cælica proliferæ segetis Medicina favebit!

Adeste, quæso, Animisque qviescite Vestris, qveîs aliena forsan Qvies, per Discursum hunc mixtâ q. paleâ componetur, Nam;

Qvod caret alternâ reqvie, durabile non est!

Sed video Vestros ad Qvietem compostos Animos: ideò incipe *Avicula* tua plectra movere!

COELVM in inferiora hæc agere, plusqvam in Confesso est! (A. L.) Ab ipso qvippe, tanqvam *Principio Astrali*, Naturalia, ut dependent, ita operantur omnia: cùm modus operandi, seqvatur modum essendi, Resque in operando dependeant ab eis, à qvibus dependerunt in essendo, juxta Philosophum. De qvo adeò côstat, ut non immeritò *Cœlum Patrem*, *Terram Matrem* possim dicere Rerû! Illud qvippe PLANETAS; Hæc MINERALIA ac METALLA, ob amicissimam Relationé, mutuamque Harmoniam Astralem, *Pla-*

Manifestus Cœli Influxus non indiget Demonstratione.

Influxus Cœli alijs dicitur Coitus cum Sublunaribus.

netarum, sed *Terrestrium* nomine gaudẽtia; in suis fovent Gremiis! De utroq; Genere, futurus mihi Sermonis hujus Discursus, qui non tam Superiorum qvam Inferiorum istorum Planetarum Naturam, & in R E, non tam V A R I A, qvàm M E D I C A Usum, curtâ crassâque edisseret Minervâ. Obcurrunt propriis suis tecti ac Vecti Orbibus, Planetę Cœlestes; *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Sol*, *Venus*, *Mercurius*, *Lunâ*, in COELO: Obcurrunt, propriis suis tecti ac Vecti Mineris, Planetæ Terrestres; Saturnus cum *Plumbo*: Jupiter cum *Stanno*: Mars cum *Ferro*: Sol cum *Auro*: Venus cum *Cupro*: Mercurius cum volatili ac fugitivo suo Servo, *Mercurio Vivo*: Luna cum *Argento*; in TERRA.

Planetæ Cæli & Terræ.

Sed nunc opus, nunc labor erit, abeundi in horum penetralia ac Abyssos, quibus permeandis ac perscrutandis, meritò qvis ipsam Phœbi Lucernam, ipsum Ariadnes filum, ne in labyrinthis erraret adhiberet! Sed introeamus in P R I M U M ANTRUM, non pertimescentes summa, summi aditûs, infimi exitûs, pericula! Præiverunt, utut ad ima non iverint, & summi nostri *Medicinarum Patres*, qvorum Vestigia premere jure decebat meritò. Qvoties horum Scripta ad ASTROLOGIAM

Hipp. & Gal.

LOGIAM invitâtia vidi, toties mihi displicere nô potuit illius Studium, id qvod eò magis placere debuit, cùm & *Galenus*, Astrologiæ in Medicinâ Usum, peculiaribus, *de Astrologiâ & Diebus Decretoriis*, Commentationibus, Posteritati Medicæ commendârit. Ac ne fallant, fallantúrve Judicia: age videamus, qvid tribus Verbis, tanti Medicinæ Restauratores, Miso-Astrologis præsertim MEDICIS (licèt istos, tanqvam Patres & Præceptores Ego hic sicco Silentij pallio tectos velim) & Judicij & Præcepti dederint! *Deridendi* nempe cum ipsis, *qui Astronomiam* aut Astrologiam *Medico necessariam negant*: immò (dura increpandi Verba, quæ iterum ex meo vel ore vel corde prolata nolim) *Astronomiæ ignari, Homicidarum instar* (*instar* dico: Gal. Homicidas ipsos habet) *habendi* Medici! Et quid qvæso vel boni vel mali de Crisibus in Crisi habeas, nisi Astrologiam non nudè tantùm adspexeris, sed & ipsorummet *Thematum* (ut vocant) *Erectiones* inspexeris, Varios Criticorum Dierum Motus, Varios Morborum terminos, ex Lunæ potiss. Phasei ac positu cognoveris? Atque hoc Velle videtur Divinus ille Senex, dum vult; *In principio non ex universali tantùm, sed &*

Utriusq; de Astrologia Contêtoribus judicia.

Gal. libell. Si quis sit Med.

8. Ingen. San. 20.

Videatur Gal. 3. de Dieb. Critic. per totum.

Hipp. 1. Epid. 3.

partiali Cœlestium (quæ Geniturarũ est) *Constitutione, Morbos* (in quibus τὸ ΘΕΙΟΝ quoque, non ad solam *magnitudinem*, sed ad Cœlum item referendũ puto) cognosci! Ita est, Patroni Magni! Qvis enim nisi à sagaciori Naturâ, tanqvam in abditâ inscitiæ speluncâ, derelictus, non putet; *Cœlum tot admiranda complecti*, tot mirandis virtutibus æstuare, qvot stellas, immò, *qvot minima Puncta, in se contineat?* Qvis, nisi surdus ac blennus, putet, tam varium Cœli Motum, tam concinnum motus ordinem, vel propter solos Anseres conditum, vel omninò frustraneũ esse? Qvis, nisi solo Sensuum usu abutens, putet, cœlum infinitas suas vires, in sublunaria tantùm Elementa, Ignem, Aërem, Aqvam, Terram, terrâque nascentia Vegetabilia, solúmve ex istis Gramen (hoc qui putãt, sibimit solis sapientes, anno seniores sunt facti) effundere? Qvis, nisi planè Judaicus Apella, non credat, & Mineralia, & Animalia, nec Bruta tantùm, sed & ipsum Hominem, à Cœlo q. animari, (ignoscite verbo) vegetari, refici, regi? Hæc dubiotenus *Aristarchum* nostrum eò movêre, ut Astrorum ortus & occasus Medicum cognoscere oportere (prætoriis planè verbis, *oportere* inqvam) dixerit: qvò

Hipp. multis in locis θεῖόν τι, divinũ quid, i. e. quod ex cœli positu haurïēdum sit, morbis inesse, scribit.

Hipp. de Diæt.

nempe

nempe mutationes & excessus ciborum ac potuum, & Ventorum, & totius mundi, ex qvibus sanè morbi *Hominibus* oriantur, unáque cum temporibus & Ventriculi mutentur, didicerit. Qvo de & ipsi *Arabi* adeò constat, ut quæcunque hìc fiant, in motibus & conceptionibus stellarum & orbium præexistere oportere (prætorio itidem ore) dicat! Hinc *Cornelio* scitur, (non dubitatur: *Scientiæ* enim *non est dubitare!*) Situm ac Figuram Cœlestium, causam esse omnis nobilis virtutis, (*Corneliana* hæc sunt *Encomia*) qvæ sit in speciebus inferioribus, qvarum omne etiã individuum, qvando incipiat esse sub determinato Horoscopo & Cõstellatione cœlesti, contrahat cum *Esse*, mirabilem qvamdam Virtutem operandi *Rem mirabilem*. Ipse Poëta mirabilis est, qvando canit:

Hipp. ll. de aër. aq. & loc.

Avic.

Corn. Agripp. 1. occ. phil. 11.

Igneus est ollis Vigor & Cœlestis origo;
Seminibus qvantum non noxia corpora tardant!

Virgil.

Nì vidisset id Τρὶς Μέγιςος, antiqvis haut dixisset verbis: *Quod est superius, est sicut id, quod est inferius: & quod est inferius, est sicut id, qvod est superius!* Qvo ipsomet insignem *Cælestium & Terrestrium Sympathiam*, alteriúsque ab altero *Harmonicam*

Herm. Trismegist.

Dependentiam indicare voluit. Exemplo dictorum minimo nobis sint *Solstitia*, immò Canis, Arcturi, Plejadum, ortus & occasus: Maximas in istis & Temporum & Morborum fieri mutationes, qvis est, qui nesciat? Nôrunt id & Rei Medicæ Imperiti, qvi ante vel post Canem prohibitum nôrunt Medicamen. Clam fatentur, & Cœlum in Hominem operari, quotquot *Hominem Microcosmum* dicunt! Est sanè: sed mehercle, qvàm pulcrè sciunt Scioli isti, (Sciolos puto, qui ipsi parum vel nil scientes, omnia carpere, norunt: *melius scire* i.e *nescire* malunt:) Cœlum ad Mũdum pertinere, nec tamen ad Hominem, qvi ipsis minor nihilominus est Mundus. Hunc dum Cœli opera subterfugere (sed falsò) putant, alterâ quod dant manu, alterâ furantur. Breve dico Verbum. Si Homo est Microcosmus, E. in compendio tenebit id, qvod Macrocosmum constituit in Folio; E. & Cœlum, Macrocosmi Eqvum Trojanum in se tenebit: non quidem in substantiâ (nisi occultum *Substãtiæ* modum heic malis!) E. in virtute, E. in operatione! Operatio enim dependet à virtute seu facultate! De *Terrâ* non dicam, cùm Homo sit ipsa Terra, tacendo, qvòd Terrã in se continere debeat. Qvin utriusque

Ex Hipp. l. de aer. aq. & loc.

MICROCOSMUS, in homine Corporali & Spirituali.

utriusque Macrocosmicæ Faciei Spectacula ac Signaturas in Humanâ Facie ac Specie videas! Habes duo *Luminaria* in oculis, qvorum Dexter Solem, Sinister Lunam tibi signat. Geris eadem in Auribus ac Naribus; qvibus & Saturnum & Martem inesse existimes! Geris *Solem* Vitæ Datorem, ut Magnificentiæ, ita Sapientiæ Patrem, in Corde, unde non tam Vivis, qvàm Magnificus es ac Sapiens: Hinc & tibi (ex Aristotelis quoque mente)

Signaturæ Macrocosmicæ in Microcosmo.

Cor sapit ----

Lunam, Motûs Dominam, circumgyras in Cerebro, unde moveris (ubi enim spiritus animales Lunares, Lunarem Motum subministrantes, alibi conficiantur, qvàm in Lunari Cerebro? licèt è Microcosmici Solis præsepi hauriant pabulum!)
Saturnus tibi defossus in Liene, Melancholiæ Melancholicive sangvinis sepulcro; unde melancholizas, discussâ melancholiâ rides: Hinc

Splen ridere facit ----

licèt, totum hoc quod est, *ex accidenti* sit, Nam, *per se* si qvid velis,

Non bene conveniunt, nec in unâ sede morantur,
Et Dolor & Risus ---

Jovem alis in Epate, Αἱματώσεως organo.

Sub Jove etenim, Calido ac Humido, Sangvis Jovialis est, qvi naturali suâ caliditate ac humiditate præditus, lætitiæ ac amoris sit causa: Hinc

------ *Cogit amare Jecur!*

Amatores enim maximè sunt Sangvinei, qvi Joviales dici merentur. *Martem* ostédis in Felle, sicut Taurum vel Bovem in Fronte: unde irasceris: Mars enim ceu Belli, ita Bilis iræ Author. Hinc

----- *Fel commovet iram.*

Venus in partibus Venereis tripudiat:

Hinc Veneris tibi surgit Amor grandisq; libido!

Mercurius cum alis suis in Pulmonibus & Lingvâ spirat, unde respiras & loqveris: juxta vulgatum item illud

------ *& Pulmo loqvitur* ---

Cui Loqvelæ cùm Mercurius pręsit, non possum, qvin Poëtæ hoc ita invertam:

Inversum ex Iuvenali.

Mercurium hos Pueris monitus infundere Patrem
Cùm videas: qværisne? unde hæc farrago loqvendi
Venerit in Lingvas!

Nempe à Mercurio, Lingvarum Patre! *Sol* insuper tibi signat Spiritus *Luna*, Humores: *Saturnus*, (in specie) Melancholiam: *Jupiter*, Sangvinem: *Mars*, Bilem: *Venus*,

Venus, Semen: *Mercurius*, Sputum: unde Mercurialis illa Euclionis Saliva ap. Poëtam:

Nec Gluto ſorbere Salivam Mercurialem! *Iuven.*

Solaris porrò es in Heroicè agendo: *Lunaris* in peregrinando. *Saturninus* in triſtando, agro colendo, domo curandâ: *Jovialis* in conſultãdo: *Martialis* in iraſcendo, dimicando: *Venereus* in amando: *Mercurialis* in diſputando ac negotiando: Hęc cauſa forſan fuit, cur Negotiatores olim, *Mercurium, cum Sacco* depictum, coluerint! Sed qvid tibi & Elementis? His nî fruereris, vivere non poſſes. Qvin & Intellectus, Viſus, Coctio, Spiritus vitalis, Cholera, Actionum Impetus, Phrenitis & Inflammationes; tibi referunt *Ignem!* Ratio (vel memoria potius) Auditus, Reſpiratio, Caro Sangvinea, Sangvis, Alacritas, Dyſpnœa; *Aërem!* Imaginatio, Guſtus & olfactus, Transſudatio, Humores, Pituita, Pavor & inertia, Catarrhi; *Aqvam!* Senſus, Tactus, Fœces, oſſa, Melancholia, motus tardus & ſolidus, Podagra; *Terram! Novilunium* tibi repræſentatur per Humidum primigenium: debile in ſenectute, in qvâ & latet *Hyems*. Prima

Lunæ

Lunæ Qvadratura, per Humidum in cõstanti ætate, in qvâ *Autumnus*: *Plenilunium* per Humidum in Juventute, in qvâ floret *AEstas*: Ultima Lunę facies, per Humidum infantiæ, in qvâ & *Ver* Virescit. Porrò oculorum scintillationes tibi signant *Fulgura*; Sternutationes, Singultus, Ructus & Crepitus Vẽtris, *Tonitrua*. Corruscatio oculorum ante Sternutamentum potiss. nocturnum, fulgur & Tonitru simul. (Ante Sternutamentum enim offuscantur & splendescunt primùm oculi: ubi signum habes rationis Physicæ, cur fulgur appareat ante Tonitru?) Inflationes Pectoris, Ventris, Matricis, Tinnitus ac murmura Aurium, *Ventos*! Catarrhi, Destillationes continuę à capite fluentes, *Pluvias*. *Nubium* Signaturas ostẽdunt Anfractus Cerebri. *Nivem* vides in Pituitâ frigidâ, instar lanæ carptæ qvæ exspuitur: sicutè contrà conglobata Pituita *Grandinem* notat. Lacrymæ oculorum rarę referunt tibi *Rorem*; conglobatæ (in oculorũ angulis majoribus residentes) *pruinam*; Vapores Vertiginosi, *Nebulas*. Tremor Capitis *terræ-motum*. Urinę (pręsertim in Fœminis) profluvia vel eruptiones, scaturientes signant Montium *Fluvios*! Unde ex longis suis Vesicæ ac Natu-

ræ

ræ Canalibus, tanqvam ex Fontium fistulis, urinam emittere Fœminas intellexit *Juvenalis*, de impudicis illis Matronis, ad suas pudicitiæ aras, tamqvam ad aram & focum, pudicitiæ colendæ, qvod est, libidinis exercendę gratiâ, properantibus, loqvens:

Effigiemq; Deæ longis Siphonibus implent!

Cæteroquin & *Flumina* repræsentant Veneficorum oculi, quibus non tam Vegetata, qvàm animata, deperdi solent. Qvam in rem qvædam videre licet ap. Plinium. *Meteora ignita*, *Cometas*, Chasmata, observare liceat apud Ebrios, Lue Venereâ infectos, Hepaticos, Erisypelaticos, Herpeticos! Pili totius corporis quid aliud referunt, qvàm *Nemora* cum Sylvis? Pediculi, qvam *insecta*? Quid dices, si scorpios, serpentes, lacertas, Ranas, Bufones, lumbricos, præs. latos in corpore humano reperias? Annon Varia Macrocosmi Animantia bruta in Microcosmo reperiri dixeris? Mirãdas istiusmodi Historias videre licet ap. Varios Practicos. Ante annos non ita multos *Argentinæ* è *Puero*, mortuo reperto, egressus *Serpẽs*, cujus memoriam in mõstratis ibi exuviis adhuc visere licet. Plurima item *serpentum* cohors in recenti Nobilis juvenis (qui

7. nat. hist. 2.

Avic. Holler. Forest. Schenk.

(qui pulchritudinem suam vivus depictam noluit) cadavere aliquando reperta. Cujus rei Monumentum antiqvum in Templo *Tubingiaco* exsculptum: *Hier. Tragus*, beneficio Hieræ picræ & Card. bened. duos serpētes è Viro expulit. Mulierem audivi, cui *lacerta viridis* prægrandis, è patientis, in recentem terræ foveam se inclinantis, collo extracta, quæ postmodum Alexipharmacis debitis integrè restituta. Tale animalculum Vivum *Rulandus*, cum Extracto Turbith, (cujus ope & *Ranarum* colluvies ab alio quodā expurgata, alvo Viduę Ratisbonensis) exturbavit. Immò & lacertæ aliæ, amicâ sympathiâ allectæ, Aqvas ex Hydropicorum Abdomine ebibere solent: Hinc fit, ut pulverisatæ conferant Hydropisi laborantibus. Miraris, quòd Jac. *Theodorus*, Practicus olim Palatinus, ope pulv. Arundin. & Plantaginis, (hæc siquidem Bufonibus & vita & mors, sympathica & antipathica: vita, ab araneo morsis; mors, in corpore delitescētibus!) sex bufones, è mulieris Rusticæ, gravissimis diu symptomatibus adflictæ, corpore expurgârit? Mira vidit *Nemausensis*, qui ex Sphacelo Cerebri, Varia animalcula, lupulorū, felium, catellorum, Leopardulorum, for-

mas

mas repræſentantia, poſt apertum Cranium, orta vidit! *Dracunculi* quid ſibi volunt in corpore? Sed & varios Beſtiales morbos, λυκανθρωπίαν, κυνανθρωπίαν, ὑδροφοβίαν, ἐλεφανθρωπίαν, ἐλαφοθρωπίαν, inſpice, Varias certè efferorum animantium Signaturas in corpore humano, malè affecto, deprehendes. *Ovidius* qvando de Lycaone, Daphne, Narciſſo, aliis, in *Metamorphoſi* refert, ſympatheticè & antipatheticè loqvitur de Animalibus & Arboribus Hominum! Eamdem hāc, qvam paucis nunc inſinuavi, Analogiam, unâ facie videas in hoc Septaſticho.

Fatur Ariſtoteles, Hominem Microcoſmion eſſe,
Icciſcò Mundo hic æquiparandus erit
Sit Cerebrum Firmamentum : *duo Lumina* Stellæ :
Inferior Cerebro pars velut Aër *erit.*
Sint Meteora, *petens ſurſum Fumatio Ventris*:
Humētes pluviæ *ſunto Catarrhus itē:*
Terra *Caro: Sangvis, terram qvi permeet Humor:*
Corpus enim totū, perfluit unda *velut:*
Cor, jecur, ac Ren, ſplen, Teſtes; Animalia *ſunto*;
Vitales Motus congerit his Cerebrum.

Si

Si dicis, nondum me declaraſſe; quid Ignis?
Hic Radicalis corporis eſto calor.
Ut toti Mundo tandem Deus *imperat unus:*
Sic Rectrix etiã corporis eſt Anima!

Metallifodinæ Microcosmicæ.

Sed ultrà eamus. Reperias quin & *Metallis* quid ſimile in corpore! *Aureus* eſt *Sol* ille Microsmi, *Cor* puto, quod ab Auro, tanqvam ſpecifico quoque refici ac reſtaurari, inter omnes optimè nôrũt Chymici, *Aurum* reddentes *potabile*, eo qvo *Antonius Anglus* multos reſtituit. Cujus nucleum ita enucleat Nucleator: Qvòd Univerſale ſit Remedium & Vera Panacéa, qvæ proſit alterando, penetrando, Tartareas & Tophaceas concretiones reſolvendo, obſtructa aperiendo, putredines prohibendo aut delendo, Mercurialem frigiditatem corrigendo, Venena diſſipando, ſpiritus temperatè & mediocriter attenuando, nimis attonitos figendo, ne citò diſflentur, ſangvinem purificando, cor ſolidamq́ue ſubſtantiam confirmando, morbos omnes malignos, aliâs indomitos, radicitus evellendo. Adeò ut Crudum *Scaligeri* Judicium, qvod, *Cardani* de Auro potabili laudem fœdas nugas dicit, ſit *Petræo*. Tantum enim abeſt, ut

ut Aurum à naturâ nostrâ longissimè distet, ut potius eidem sit convenientissimum propter stupendas Auro insitas vires Medicas, Experientiâ probatissimas. Antiqui certè ac Neoterici magno hactenus cum fructu vel sola Auri crudi folia Medicamentis aliis permiscuêre: Licèt graviter errare illi videātur, qui non tam Aurum, qvàm lapides etiam pretiosos, Materiebus destillandis immiscere solēt: Quid enim ex fixis istis corporibus tam levi crudóque labore per Alembicum ascenderet? Pretiosam E. illi ostendunt nucem, cassam tamen vermibúsve intus scatentem. Tantum abest, ut Aurea ista sit Aqva, ut vix sit plumbea! Cujus relictis in vesicâ vel cucurbitâ fecibus ex joco (modò jocum dicere liceat) usum in eo quoque ostenderem, ut agris loco fimi concreditæ, salinum præberent semen, unde postea cum frumentis enascerentur, aurum, perlæ, lapides pretiosi; vel tandem cum tempore ibi glisceret fossura Metallica! Parcite quæso loqvendi audaciæ. Sed aliâ, *si Diis placet*, procedendum Viâ, si aureum cupias Magisterium, Cōfortativum summum. Qvin & Ventriculum sibi assimilare Solare illud Aurum, testatur Gallina, Auri Foliis per tempus nu-

trita, aureis intus Striis, inde abundans! Qvid dices, de Gallinâ, Auri globulum devorante, in cujus Ventriculi Orificio (qvid evenisset, si in ipsum Ventriculi gurgitem prolabsum fuisset Aurum?) aurea q. Cera post dissectionem reperta? Qvid dices de *Argentinensi Orpheo*, qui sanitatem bibens, aureum annulum, cum inserto Adamante, (putésne & Adamántem huic Venenum fuisse?) integrum, absque ullo subseqvente incommodo, simul inglutiit, in cujus Excrementis, curiose diu custòditis & examinatis, nunqvam posthac reperiri potuit Thesaurus iste, corpori sine dubio adsimilatus? Nec & fortibus Purgantibus expurgari potuêre vel Aurum vel Adamas! Alium novi, qvi contortum Ducatum s. nummum aureum absorbsit, aureo item adsimilato cibo! Qvi fit, qvòd Diaphoretica Chymica, auro immixto per artem facta, reddantur, simplicibus sine auro, fortiora? an qvòd Aurum occultam teneat vim Diaphoreticam? Qvid timetis igitur Mercurium vel Arsenicum in Auro (vel factitio etiam) Venena? Multa nempe in simplici sunt Venena, in composito (vel per naturam vel Artem) non ita! Multa iterum Venenata & maligna extra corpus adpa-

adparent, qvæ intra corpus nil nocent. *Aconitum*, Venenatum eſt, & tamen cum vino bibitum, facit contra Morſus ſerpẽtum & viperarum. *Viperæ* ipſæ Venenatę ſunt, & tamen in Theriacâ Alexipharmaci palmam tenent. *Vitriolum* crudum malignum multis videtur, attamen non tam crudo ore à multis, præſ Hiſpanis ac Italis, ſumitur, qvàm & præparatum laudatiſs. fit Stomachicum. *Mercurius Vivus*, Venenoſus, nihilominus à multis etiam crudus, contra vermes aliaque mala, exhibitus. Idem non tam purgans in Mercurio dulcificato, qvam Diaphoreticus fit in minerali Bezoartico, abſque ullâ iterum moleſtiâ! *Antimonium* crudum Venenatiſſimum, attamen nõ tam (crudum qvoqve) in infuſo (Croci Metallor.) Vomitorium fit utile, qvàm aliis modis paratum, & Diaphoreticum, & Reſtaurativum inſigni evadit titulo! Adſpice *ova cruda* & *ſtercus humanum*; illa mediocriter ſaltem cocta, gratiſſima ſorbitione ingluciuntur à Ventriculo. Hoc, Suibus cibus fit accõmodatiſſimus; Sues, cibus homini! Gallinæ & Anates, Araneos aliaque Venenata multoties devorant, Homini nihilominus in eſcam cedunt. Recordor hic, qvod Princeps Haſ-

ſiacus, cui Lucius Piſcis, in qvo Bufo repertus, non apportabatur Coqvo Reſpõſum dedit *Bufo cibus Luci, Lucius ipſe meus!* Taceo infinita. E quibus apparet: Omnia in Præparatione & Coctione, in qvâ multa Venenata ac mala, fiunt laudabiliora, lautiora, utiliora, pẽdere. Sed plura forſan heic dixi, qvàm qvæ decuit. Ad Metallifodinã Microcosmicã redeo! Annon talẽ aliqvam in *Pueri Sileſiaci*, cui ſeptimo ætatis anno ſuccrevit Dens molaris aureus, corpore fuiſſe exiſtimes? Dentem Pueri verè aureum fuiſſe, lapide probatum Lydio! licèt aliàs etiam à falſo auro ſignari poſſit Lydius, quæ tamen impoſtura linimento æris floris deprehendi poteſt. Mirari hoc in loco liceat *vim ſeminalem occultam*, à qvà mirabilium producantur myriades! Inſpicias variorum animalculorum in hominem cum potulento vel eſculento tralatam materiam ſpermaticam: quid ſi & σπέρμα aliquod χρυσοποιητικὸν in Sileſiacum iſtum puerum transferri potuiſſet? Sed de occultis iſtis hîc nullus dicendi locus! Vidimus Signaturam Aurifodinæ in Microcosmo: Pergo nunc & dico, *Argenteam* eſſe *Lunam Microcosmicam*, Cerebrum: id quod ab argẽto præparato confortari, teſtantur Tincturæ

Vid. Iac. Horſt. & M. Ruland. de aureo Dente.

ſturæ Lunæ Antepilepticę, teſtantur alia, Chymiæ Artificio ex Argento vero confecta, quibus Epilepſiæ, graviſſimi iſtius Cerebri Affectus, aliorumque cerebri morborum Cura gaudet. Argentum item à Ventriculo coqvi poſſe, Experientia fidem fecit in Gallina, Argenti foliis cum cibo nutrita. Quid dicam de aliis, Microcosmi partibus? Brevi ita dicam! Plumbeus eſt Lien qui Saturno, Plumbi Domino, ſubjectus, malè affectus, plumbei coloris Homines reddit. Latére forſan & Spleneticorũ & Epilepticorum aliqvam in Plumbo Curam, ominor ex illis potiſs. qvæ facit Spiritus Saturni penetrabilis, è ſacharo Saturni confectus Nec abs re hoc eſſe putes, cùm Pueros Epilepticos ſciam, qui remediis ex Saturno paratis, reſtituti fuere in integrum. *Ferreus* eſt *Ventriculus*, multa etiam vel inſtar ferri cujuſdam duriſſima concoqvere valens; (hinc vulgus: der Magen iſt Eyſſern / er kanns wohl vertragen) Signaturæ exemplo ſtat Struthionis Ventriculus, ferrum ipſũ digerens. Propterea & Crocus, Criſtalli, Vitriolum, Spiritus, Martis, habentur pro Specificis Stomachicis! Vitriolum Martis, dum Dyſenteriam curat cũ Cachexiis, ſimul roborat Ventriculum: Li-

cèt in Alvi fluxibus potior in tio v deatur Crocus Martis solvés, in fine adstringens! qvâ diversâ facultate prœditus est Mars ferreus! *Cupreus* prœterea esto *Venter* (Helluonum, juxta proverb. incus) cui, juxtà cum Cupro, ut prœest Venus (unde Venus Cuprea: item Cytherea Virgo, & Diva Cypria vel Cypris: unde & æs Cyprium s. Cuprum!) ita ex Cupro insigne deoppilativum conficitur, qvod latet in Spiritu Vitrioli Veneris: Hic & ipsum uterum confortat, ut ad conceptionem fiat habilior quod idem ita non fieret, nisi Cuprum cum Ventre aleret Sympathiā! Et quidni ipsas Fossuras Metallicas in corpore reperiri dicas? Calculi in toto corpore, (vidi enim & in cordis capsulâ generatum lapidem!) corporis partibus, renibus potiss. & Vesica, dū fiunt: Tophi (quos ipsos in Gallis Gallinaceis decrepitis cernere licet: Feci nuper dissectionis in *Gallo* per 18 annos *Podagrico* periculum, in quo, prœter Ventriculum, meris lapidibus, qvos omnes an cibi deficientis loco inglutierit dubito, refertum, omnia reperi salva: licèt & Alb. M dicat, Gallum 9. annorum in Ventriculo alere lapidem!) Tophi, inqvam, è Podagricis dum excrescunt, quid aliud fieri,

fieri, aliud crescere putes, qvam quod in fodinis fit crescitque, in generatione metallorum ac lapidum? Podagricum vidi, è cujus Cute, tanqvam Muri alicujus lapide, Verum q. Nitrum progerminavit! (Hinc ex analogiâ dicas conferre in Arthritide spiritus Vitrioli, salis, Nitri!) Dic, Nitrosum istum Hominem, eamd. in se aluisse causam, qvam alat lapis, Nitrũ per exsudationem protrudens! Credin' & Vitriolum & Mercurium ex Homine præparari posse? Credin' & Vitriolo & Mercurio & Nitro & Sulphure, vel alio quopiam, his maximoperè simili, ceu sale, inter cibum qvandoque repleri Hominem? Credin' & hæc & alia, intra corpus semel adsumta, non statim exulare, sed qvandoque sat diutinam inibi trahere moram? forsan instar Veneni canis rabidi, vel alterius? Annon putares, in Podagricis vel hæc vel ista aliqvando reperiri posse? Annon Indusio, Natibus pedétibus arctè adaptato, accendis Sulphur, admotâ parùm candelâ? Hinc Sulphur in corpore reperiri dicito! Artificium istud pueri nôrunt, sulphurandi hunc actum lepidiùs appellantes, einen blawen (color a. cæruleus in sulphure latet) dampff machen. Hinc & sulphureâ istiusmodi aurâ,

ex posteriori partium sede, ad superiorem qvãdoque narium Regionem clam subrepente, ex analogia dicere solemus: Es schweffelet. Sulphur igitur fuit in corpore! Ex his & aliis, plura indagatur Chymicus, cui ex Odore & Sapore, ad Varias occultarum Essentiarum cognitiones latus aditus. Also kan ein Chymist auß dem geruch oder geschmack baldt wissen/ ob Schwefel oder Saltz in etwas stecke. Hæc, & alia, ut ut ridicula nonnullis ignaris adpareant, non tamen sunt de nihilo: Naturalia hæc sunt, quæ Medico non debent parere nauseam: cùm alioquin dicatur

Stercus & Urina Medicorum fercula prima!

Nec pudeat hoc, cùm dicter: Nam;

Ex OWen. *Chymicus haud metuens ex stercore colligit aurum:*
Et duo præterea Rusticus & Medicus!

(Licèt inter Chymicum & Medicum, Verum, nullum debeat esse discrimen!) Ita nempe;

------ *Lucri bonus est odor ex Re Qvâlibet!*

Quin quo Gaudio, Amatoribus sunt *Pectora-Pectoribus*: Nautis, *Littora-littoribus*: eodem bono Medicis cedere debent

Sterco-

Stercora-Stercoribus! Ipsi enim Homines sumus stercora ex Vermes. Hinc (ut ad Analogiarum priorum clausulam deveniam) dum Vermes in & ex Terrâ fieri vides, Cogites, ita generari & Vermes in Homine, qui Terra Terræ (obiter hic noto: Italis hoc commune esse solere monumentum, cui insculpatur, *Hic Terra Terræ!*) & Vermis Vermibus, post amissam lucem, in Escam cedit. Vides hinc, ô Amice, qvisqvis es, Analogiam aliqvam Hominis cum Mundo! Qvæ si tibi non arrideat, agedum aliâ incedamus via analogicâ, arrepto inquisitionis baculo ex sermone seqventi Italico. Qvem hic cõmemorasse non pœnitebit Elucebit enim inde ex verè Platonica ac Philosophicâ sententiâ, Microcosmum collocandum esse in intellectu, Rasa tabula Aristotelicâ Sermo hic est, decantatus ab Italo tanqvam in Comœdiâ. *Scrive Philosopho, che nel medesimo vaso & medesimi Elementi fabricò el fattore del mondo l' anima mondana & tutte l' altre anime rationali, fra le qvali come l' universale anima del mondo è la più perfetta, così la nostra & l ultima & la manco perfetta, delle parti dellaqvelle noi terremmo una sommaria divisione La natura del huomo qvasi vincolo & nodo del mon-*

Microcosmus Intellectualis.
Mirand. Comm. in Cantilen. Italic. Benivenl.
Platone nel Timæo.

do, è collocato nel grado mezzo dello universo, e come ogni mezzo participa delli estremi, cosi l' huomo per diverse sue parti con tutte le parti del mondo ha communione & convenienza, per la qual cagione si suole chiamare Microcosmo, cio è piccol mondo. Nel mondo prima veggiamo esse e la natura corporale, e questa e duplice, una eterna, ch' à la sostāza de Cieli, l' altra corrottibile, quali sono li Elementi & ogni natura di quelli cōposta, come le pietre, metalli & simili cose: poi sono le piante: e sopra questi nel terzo grado li animali bruti, nel quarto li animali rationali: nel quinto le mēte angeliche, sopra lequali è esso Dio, fonte & principio d' ogni essere creato. Similmente nel huomo sono due corpi. Uno eterno, chiamato da Platonici Vehiculo celeste. il quale da l' anima rationale è immediatamente vivificato, l' altro corrottibile noi veggiamo con gli occhi corporali composto di quattro Elementi, poi è in esso la vegetativa, per laquale questo corrottibile corpo si genera, si nutrisce & cresce, & quello eterno vive di vita perpetua Terzo, vi è la parte sensitiva & motiva, per laquale ha convenienza con li animali irrationali. Quarto, vi è la parte rationale, quale è propria del huomo & delli animali rationali, & da Peripathetici è creduta essere l' ultima & la

Vehiculum animæ. Consulatur Fernel. de calido innato.

& la più nobile parte dell' anima nostra, non ostante, che sopra esse sia la parte intellettuale & Angelica, per laqvale l' huomo così conviene con gli Angeli, come per la parte sensitiva conviene con le bestie I Platonici vogliono ch' el sommo di questa parte intellettiva dell' anima sia qvella, per laqvale l' huomo immediatamente con Dio si congiunge, & quasi con lui conviene, comme per la parte vegetativa conviene con le piante. Tantum Italus! Unde facile colligo Harmoniam macrocosmicam potius in formali Microcosmico, quam materiali ac corporeo ejusdem qværendam esse. Colligere idem licet ex *Philosopho* dum ait: *ὁ νοῦς δυνάμει ἐστὶ τὰ νοητά*: Intellectus potentiâ est intelligibilia, *quod est*, comprehensibilis intelligibilium facultas quæ subinnuitur *ἐκ ἀγραμματείου ex Tabula* (qva Peripatetici dicunt) *rasâ*, in qva ut scriptibilia omnia scribi, ita in intellectu omnia in mundo Intelligibilia cognitionis habere possunt reqviem. Jam facio proportionem: Sicut Mundus, *Platonis* mente, est intelligibilis, ita & cognitionis reqviem vel locum qværit *ἐν τοῖς νοητοῖς in Intelligibilibus* Aristotelicis *quod est, ἐν τῷ νῷ. in Intellectu* ipso: Intellectus enim est *τὰ νοητὰ, ipsa intelligibilia!* Jam ultrà progredior:

3. anim. 4. t. intellectus noster est instar tabulæ rasæ.

Quia

Qvia *intellectûs Domicilium est Luna Microcosmica* vel, juxta quorundam loqvelam, Mercurius Microcosmi, *quod est*, Cerebrum; Cerebrum autem in summâ corporis Arce, Capite, altam suam habet Sedem, reperire etiam in Capite ac Cerebro, (Facultatum Principum quibus *Intellectus noster* palmam præripit, Sede, tàquam in Microcosmo intelligibili,) licebit, omnes Macrocosmi (vel aliqvas) Signaturas: qvas brevi ubi connecterem filo, non abs re foret. Esto! *Ignem* itaque tibi referât Cerebrum & olfactus: *Aërem* Pia meninx & aures: *Aqvam* Dura meninx & oculi: *Terram*, Calvaria cum gustu & Tactu; Tactus quippe versatur circa τὰ τῆς ὕλης, materialia ac terrestria! Qvinque *sensus* simul signanto Magnates Macrocosmi; Sensus verò communis, Monarcham; Organa Sensuum, Subditos! Liceat & *Sphœram Cœlestem* comparare cum cerebro & oculorum Tunicis: ita ut *Primo Mobili*, respondeat Pulsus arteriarum in Cerebro per Diastolen & Systolen: (nec enim credo, Cerebrum suâ vi innatâ moveri sed motus si qvis est, qvi est, à corde est!) Motui Planetarum, directo ac Retrogrado, Motus spirituum animalium, varius! Octavæ vero Sphœræ, Cortex exterior

Signaturæ Macrocosmi in Cerebro Microcosmi.

terior Cerebri Cinereus Ejusd. Sphœræ Motui Trepidationis sic dicto Convulsiones Epilepticæ: *Orbi Saturni*, adnata Oculi Tunica Orbi *Jovis* Tunica Cornea: Orbi *Martis*, Uvea: Orbi *Solis*, Reticularis: Orbi *Veneris*, Aragnoides Orbi *Mercurij*, Ciliaris: Orbi tandem *Lunæ* Cristalloides Tunica! Sed & Planetis ipsis qvid tribuemus ex capite: Saturno Maniam: ac Melancholiam per Essentiam Jovi, Cerebri Sangvinem, qvem dissecto Cerebro è Venulis & Arteriolis (in Nervos tandem degenerantibus) exsudantem conspicere licet: Marti, Phrenitidé: Soli, Calidum Cerebri connatum (non innatum!) Veneri, Humorem Cerebri Pituitosum: Mercurio, Lingvam cum ore: Lunæ, (cujus falci similis esto Falx cerebri Messoria) Cerebrum ipsum humidum; Est n. Luna Principalis alioqvin Cerebri, tanqvam Lunæ Microcosmicæ, Hera! Puncta Cerebri sangvinea, sunto micantes *Stellæ*: è qvibus Corona lucida lucet in Suturâ Cranij Coronali! Calli Cerebri, vel Nervorum etiam Opticorum Ductus sunto *Galaxia*: Luminaribus enim in viâ lacteâ (cui nebulosæ insunt Stellæ) à Saturno vel Marte læsis, læduntur & Oculi: testante Experientiâ Astrologicâ! Potest

&

& Sphœræ Cœlestis *Circulos*, ex Cerebri Capitisque lineis, certo quis modo sibi imaginari. Eod. modo Signa *zodiaci* per diversas Cerebri particulas signari poterunt. Vis Septem *Climata*? adspice Septē Nervorum paria! Cupis tres *Zonas*, Temperatam, Torridam, Frigidam? Sume nativam Cerebri Crasin, Phrenitidem, Catalepsin! Si Platonicus esse velis: comparato Vacuum vulgò dictum in Cerebro (Spiritibus mihi repletū vel Vaporibus) cum *Empyréo*: Tres Facultates principes cum *Triade*: Animam Rationalem, cum *Omni-Sapiente*: Sensus omnes, cum *Intelligentiis*! Cæterùm ex *Regno minerali* Ferrum sibi quid simile invenit in Melancholiâ adustâ terrestri, Morbi Cerebri Melancholici causâ, item in ossibus capitis durissimis: Stannum in Pituita Vitreâ; Cuprum æs, aurum in bili Vitellinâ, æruginosâ, croceâ: Plumbum, in diluto humore melancholico: Mercurius, in pituitâ cerebri dulci! Silices. in Cerebri calliculis. Lapis Lydius, Cristallus & Adamas in Humoribus Oculorum, Uveo & Cristallino: Smaragdus in Smaragdino interioris oculi colore & humore Vitreo. Jaspis in variegato uveæ colore. Corallia rubra & Hyacinthus in Phlegmone pupillæ

pillæ oculi: Corallia alba, in Venulis Cerebri Sangvine vacuis, item in Nervis, Opticis: Chrysolitus, in aureis Oculorum radiis; Marmor, in robustâ Tunicâ Oculi Corneâ. Qvin & ipsi *Mari*, qvid simile videas in Torculari Cerebri: *Fluminibus*, simile in Venulis: *Navibus*, in Osse Sphenoide: Navium funibus, in Nervis! *Malleos*, Stapedes, incudes, habes in Auris malleolo, stapede, incude: *Galeam*, in Cranio: *Tympanum*, in auris Tympano: *Bombardas*, in Dentibus & Aurium murmure; (qvo malo multi affecti explosas q. ab aure in aurem bombardas nocte horridâ terrent!) *Lanceas*, Sagittasque, in suturâ Cranij Sagittali Cerebrique processu styloide. *Machinas*, Testudines, labyrinthos, in Aurium Oculorumq; Musculis, Aurium ductibus, osse cochleari ac Petroso: *Civitates*, vel Speluncas potius, in Cerebri Ventriculis: *Cives*, in Spiritibus animalibus (licêt hi tanqvam cives non habitent in Cerebri Ventriculis, Excrementorum saltem Cerebri Cloacis, sed in cerebro ipso: unde cerebrum esto Civitas; spiritus animalis, civis!) *Feras* tandem capis pediculosas, in pilosâ capitis Sylvâ! *Formicarum* ova colligis, in pilorum lendibus: *Lupum* Venaris in Na-

rium

rium Polypo. (qui nobis absque signaturâ, nostratibus dicitur der Wolff!) *Vermes* qvoque alis & *Basiliscos* in ipso Cerebro, in qvo talis & alius modi animalcula multoties reperta. Sed teneo me ne labar! Ita nempe duplici modo Signaturæ Macrocosmicæ in Microcosmo tibi sunto propositæ: Apprehendas unam vel alteram vel nullam, nil interest: nec enim Delphica Delphi is canimus Oracula! Nempe ut Scapham Scapham, ita analogias dicimus Analogias: qvas cùm majori ex mundo adduxerim, non possum nunc non addere, qvod ex Cœlo primariâ majoris mundi parte qvid faciat! Liceat itaque ita pergere. Dependere etiam ab Astris *Hominum* inter sese vel *Sympathias* vel *Antipathias*, quas nemo forsan Physicus exactè, nisi perspecto Cœlo, perscrutari aut cognoscere poterit: Homines quippe, quibus una est Cœli facies, unus Planetarum positus, unus idemque influxus (uno alias verbo: *unus Horoscopus*) sympathicè inter se vivunt: hinc fit, ut alter alterum amet, quem nunqvam antè viderit, jam autem primo ut conspexerit intuitu, ita amàrit. Homines econtra, qvibus omnino contraria, omninò qvadrata, omnino opposita Cœli facies,

Sympathiæ & Antipathiæ Astrales.

omninò

omninò diverſus planetarum poſitus, omninò diverſus cœli planetarumque influxus, antipathicè inter ſe vivunt aguntque: hinc fit, ut alter alterum odio habeat, qvem nunqvam ante viderat, jam autem primâ ubi facie viderit, ita oderit: hinc (ita ominor) iterum fit, ut, qui alter alteri primò fuerat amiciſſimus, mox ſubito q. raptu fiat inimiciſſimus: cujus συμπαθείας ac δυσπαθείας, concordis item diſcordiæ, ac diſcordis concordiæ, aſtralem cauſam, etiam inter *aſtra* latére, ſubauguror. Multa ejuſmodi ſympathiarum & antipathiarum exempla, in *Thematibus* cœleſtibus, contrariâ quæ adparent facie, ſunt ad manus. Colligere cui plura indies licet, cuilibet. Immò, quod de hominibus modò dixi, idem & in *animalibus, plantis, mineralibus*, inter qvæ ſimili modo, vel ſympathiæ amor, vel antipathiæ odium, aſtraliter intercedunt, pondus habere velim: hinc non adeò abſurdum fuiſſe aut fore *illum* fortean putârim, qui etiam herbis (quæ in bonum aliâs ferri ſolet calumnia) genituras dudum erexit, vel poſthac erecturus ſit. Geniturę iſta propriè non eſt erectio, ſed diverſi cœli in diverſas plantas iuſluxûs, (unde & una eademque herba *Turneiſ.*

ſub diverſo cœlo, diverſo tempore, collecta, diverſæ ſit facultatis) ocularis aliqua demonſtratio. Qvid ſi ultrà nunc dixero? dependere & plurimos hominum *morbos à cœlo?* unde aſtrales dici hactenus conſueverunt à Chymiatris! Videbimus infra tales ſub Planetis. *Menſtruorum* ſaltem (vitiatorum) hîc faciam mentionem: iſta quippe, *ſecundùm naturam* ſe habentia, juxta Lunæ motum regulari, alterari, variari, ex Galeno quoque confitẽte conſtat: cur E. & *præter naturam* cœleſtis illius Lunę vim non ſentirent? cùm, ex regulâ, *idem ſit actionis bonæ & læſæ principium?* Sed vel ex Præceptore *Hippocrate* prius illud generatim diſcere licebat: is jam olim inepta illa forſan *Cauſarum* communium morbificarum, ponderans pondera, præpõderare vidit ΘΕΙΟΝ ſuum aſtrale, quod ſi in lancem cauſarum medicam, cum Peſte aliisve morbis aſtralibus ac venenatis repoſueris: utrũque lãcis, hoc morbo, illud causâ gravatũ delabrum, ex æqvilibrio dependere: è contrà, ubi galenica quædam cauſarum pondera, cum aſtralibus chymicisque cauſarum ponderibus ponderâris, iſta in alto ſtare, hæc imum tanqvam prægnantiorem nobilioremque occu-
pâſſe

Morbi aſtrales.

θεῖον Hippocraticum.

pâſſe locum, cernes. Nôrunt & id *ſapientiores Chymici*, qui propterea *aſtralibus* dictis *morbis*, *aſtralia* quoque (obſervato Cœli modo) parare ſciunt *remedia*. Ad medicamenta ubi deventum fuerit: nec *Electron*, nec *Zenexton*, componet qvisqvam; immò vel pellucidum *antimonij Vitrum*, antimonij dictum *ſuccinum*, clarum ſubalbidumque antimonij *regulum*, regulúmve martis *ſtellatum* (hic tam auream in ſuperficie Stellam contraxit, ac ſi è cœlo traxiſſet, unde & *ſtellatus* dictus!) fundet nemo, niſi qvem cœli non latuerit poſitus! Qvin qvâ ratione *Entia* ſolaria, lunaria, Jovialia, martialia, mercurialia dices, niſi de Planetarum naturâ, motu ac influxu antè tibi conſtiterit? *Saturnumq;* lieni; *Jovem* epati; *Martem* renibus; *Solem* cordi; *Venerem* pudendis; *Mercurium* pulmonibus; *Lunam* cerebro, præeſſe ſciveris? qvomodo inter ſecandum, urendum, alia, (quæ *Hipp.* noſter, *omnium ult. aphoriſmo* intelligit) cavebis tibi à membris, quæ Lunæ ſignis ſubſunt? nî præſciveris: *arietem*, caput; *taurum*, collum; *geminos* brachia; *cancrum*, pectus; *leonem*, cor & ventriculum; (qui habet ſignaturam ſigni leonis:) *virginem*, inteſtina; *libram*, renes; (qui

Aſtralia remedia, ignorato Cœlo, malè componuntur.

Electron ex omnibus Planetis terreſtribus conſtās, ſub Planetis quoque cœleſtibus conficiendum.

Partes Planeticæ.

Zodiacus Microcoſmi.

instar libræ ad venæ cavæ emulgentiumque cingula adnectuntur) *scorpium*, genitalia ac matricem (instar scorpij quandoque pũgentem miseras!) *sagittarium*, femur ac ingvina (quibus Jovis ille sagittalis puer ---- *sua spicula mittit!*) *capricornum*, genua (unde in proverbio: *Capricornum in genu geris*: hinc *Venus*, capricornina *Mercurij genua* timere debebat!) *aqvarium*, crura cum tibiis; *pisces*, pedes regere? quomodo, quæ per totum annum fiunt, vulgariter saltem scies, nisi dictorum modò signorum rationem habueris? Nam

Cursus Anni juxta Zodiaci signa. Auson.

Flumina Verna cient obscuro lumine Pisces:
Curriculumq; Aries *æqvat, noctísque dieíque:*
Cornua qvem comunt, florum prænuncia Tauri:
Aridaque æstatis Gemini *primordia pandunt:*
Longaque jam minuit præclarus Lumina Cancer:
Langvificusque Leo *proflat ferus ore calores:*
Post modium qvatiens Virgo, *fugat orta vaporem:*
Autũni reserat portas, æqvátque diurna
Tem-

Tempora nocturnis, dispāso sydere Libra:
Et fœtos ramos denudat flamma Nepâi:
Pigra sagittipotens *jaculatur frigora terris:*
Bruma gelu glacians jubar est spirans Capricornus:
Qvem seqvitur nebulas rorans liquor altus AqvarI:
Tanta supra circáque vigent tum flumina mundi.
At dextrâ lævâq; ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, & Lunæ *simulacra feruntur,*
Squama sub æterno conspectu torta Draconis
Eminet: hunc inter fulgentes æthera septem
Magna qvatit Stellas, *qvam servans serus in altâ*
Conditur Oceani ripâ cum luce Bootis!

Antiqui etiam XII. Signis tribuerũt XII. menses, XII. sacras aves, XII. sacra animalia, XII. sacras arbores, XII. item antè relatas, hominis partes: nempe, *arieti*; martium, noctuam, capram, oleam, caput: *tauro*; aprilem, columbam, hircum, myrthum, collum *geminis*, majum, gallum, taurum, laurum, brachia: *cancro*; Junium, ibidem avem, *Sacrorũ ap. Antiqvos dodecas.*

canem, corylum, pectus: *leoni*; Julium, aqvilam, cervum, Æſculam, cor: *Virgini*; Auguſtum, paſſerem, porcam, pomū, ventrem: *libræ*; Septembrem, anſerem, aſinum, buxum, renes; *ſcorpio*; Octobrem, picum, lupum, cornum, genitalia: *Sagittario*; Novembrem, cornicem, cervam, palmam, anchen: *Capricorno*; Decembrem, ardeam, leonem, pinum, genua: *Aqvario*; Januarium, pavonem, ovem, rhamnum, crura: *Piſcibus*; Februarium, cygnum, eqvum, ulmum, pedes. Atque hæc forſan non ſine causâ, qvam ſine prolixâ heic literâ exponere non liceret. Plurimi certis menſibus, hęc vel illa animalia, has vel illas plantas, hos vel illos fructus, tanqvam ſacra colunt, colligunt, edunt: id quod non fit ſine Influentiæ ſuſpicione, ac ſignaturarum notâ, qvâ philologicę antiqvitatis amatores & hic inſignari recreariqúe decebat. His & aliis delitiis oblectârunt ſe olim antiqvi noſtri Poëtæ, qvibus aſtrologiæ ſtudium curæ cordique fuiſſe facilè deprehenditur. Exempla adduci multa hîc poſſent, nî ob prolixitatem moleſta forent: non poſſum, qvin unum, quod huc quadrat, exponam, in quo & duodecim Veterum Numina, duodecim item cœli

Duodecim Antiqvorū Numina.

noſtri

nostri signis distributa fuisse, cernere licebit: nam, ut *Manilianâ* utar ope; *Manil.*

Lanigerum *Pallas*, taurum *Cytherea tuetur*,
Formosus Phœbus geminos, *Cyllenius* cancrum,
Juppiter & cum matre Deum regit ipse leonem:
Spicificæ est Virgo *Cereris*, *fabricataque* libra
Vulcano: ---

(hinc Chymiam vestram sub *Vulcaniâ librâ* gaudentem videte Chymici!)

---- pugnas Mavorti *scorpius* hæret!

(audite iterum Bellici, elegantem hanc lingvam, & *sub scorpio pugnate*, qvia)

------ *Pugnas Mavorti* scorpius *hæret!*
Venantemque *Diana* virum *sed partis eqvinæ*
Atque angusta fovet capricorni *sydera Vesta*,
Et Jovis advorsum Junonis aqvarius *astrum est*:
Adnoscitque suos Neptunus in æqvore pisces.

Auditis ultimum Neptunum, sub cœlesti piscium signo, in mari dominantem: hinc *Sannazario* ex Italis nobilissimo Poëtæ, carmen, splendido ipsi cum dono

redhibitum, in Venetæ urbis (ſub piſcium ſigno gaudentis & per Neptunium mare bellantis) laudem, ita ordiri lubuit;

Viderat Hadriacis Venetam *Neptunus in undis*
Stare urbem, & toto ponere jura mari!

Sed nolo ultra per tot ambages ire. Hæc ideò refero, amici, ut uno ſaltem oculo videatis, etiam *Antiqvos* noſtros, valdè qvàm in cœleſti illo (abſit, ut infernale quis dicat!) *Aſtrologiæ* ſtudio, occupatos fuiſſe, id quod, ſi nō ita, ut noſtrates hod. purum coluerūnt, quid intereſt, cùm tanta, quę hod. forſan, lux ipſis non adparuerit? debebamus vel nos ideò in depurando iſto ſtudio, ne omninò inter ingeniorum merdas ſuffocaretur, eò eſſe occupatiores! *Cardanus*, *Garcæus*, *Origanus*, (qvi varias *peſtes*, ſub variis Planetarum poſitibus & ſignis, potiſs. igneis, *Francofurti ad Oderam*, variâ annorum ſerie, ſœvientem obſervavit) *Kepplerus* & *Mœſtlinus* noſter, inſignes quilibet ſuas hâc in re, abſque perditâ operâ, navârunt operas: nec in *Medicinâ* quoque *Aſtrologicâ* (in qvâ *Italos* Medicos multos, multum deſudantes vidimus) inutiles fuiſſe cōſtat, *Hermetem Triſmegiſtum*, *Hippocratem*, *Gale-*

Commendatores & commentatores medicinæ aſtrologicæ.

Galenum, Theophrastum, Ganivetum, Ptolemæum, L. Gauricum, Haly Abbatem, Schylandrum, Nyphum Suessanum, Chrysogonum Jadertinum, Thomam Boderium, (qui tamen non adeò cautè, dies *indicativos*, ad *sextiles* lunares, cùm potius ad *semiqvadratos*, respectivè, ad lunarem, tempore initij morbi acuti, positum, reductos ac æstimatos, referri deberent, refert!) *J. B. Montanum, J. Hollerium, J. Planerium, Qvintianum Brixiensem, H. Cardanum Mediolanensem, Stempanum Gallum, Phil. Ingraßiam Siculum, Baccium Baldinum, Cosmi Medices, Magni Hertruriæ Ducis Medicum* (cui astrologicæ medicinę contemtores, Sophistæ sunt, in plateis & publicis urbium locis quotid. strepentes!) *H. Fracastorium Veronensem*, (qui omnem luis venereæ originem astris acceptam fert: in cujus laudem, *P. Bembus*, elegantissimâ Siphyli versuum versione commotus, ita: *eadem musa Virgilio & Fracastorio fuit dux!*) *Oddum de Oddis, Gvidonem è Cauliaco, Clementis VI. P. olim Chirurgum* (qui sui temporis pestem, post Saturni Jovis & Martis in aqvario, leoni contrario signo, congressum, grassantem notavit) *I. Arculanum Veronensem, Avenariũ, M. Angelum Blondum, Schollium, A. Ferre-*



rium Tolossatem, A. Villanovanum, Hieron. Manfredum, Medicum Bononiensem, C. proloqvia, ad Joannem Secundum Bentivolum Hannibalis primi Filium, scribentẽ: *M. Ficinum, M. Curtium, Mart. Acachiam, Medicum Catalaunensem, P. Aponensem, P. Leonem*, (in P. JovI elogiis laudatum) *P. Salium Diversum Faventinum, P. Forestum* (qui mulieris, per undecim continuos annos lecto decumbentis, casum, astrologicè proponit) *B. Gordonium, M. Mercatum Miniatensem, Jac. Andr. Mariscottum, Medicum Florentinum, H. Rubeũ, F. Vallesium* (licèt hic alicubi miso-videatur Astrologus) *Corn. Gemmam, Medicum Lovaniensem, Gemmæ FrisI filium, artis cyclognomicæ authorem, Gerard. Colũbam Messanensem*, contra Mirandulanum & Marcellum Capram, Siculum, agentẽ, *Lucium Bellantium, Medicum Senensem, Collimitium Tanstetterum, Josephum Rosacium, Hippolytum Obicium, Federicum Boventurã Urbinatem*, contra miso-Astrologos, Picum potiss. Manardum, Valeriolam, Fracastorium, Vallesium (defensores-offensores) acriter pugnando disputantem, *J. Maginum*, in Galeni dies decretorios pulcerrimum commentatorem, *C. L. D. D. Sennertum*, Præceptorem

Gioseppe Rosaccio in del libro del la Nobiltà e Eccellẽza dell' Astrologia, doue si troua con moltè Authorità, quanto sia di giovamẽto al perito Medico.

rem incomparabilem, ad chymicas ἐγχειρήσεις manuductorem mihi fidelissimum, cui pro præstitâ insigni hâc ope, publicum hîc gratiarum repositum volo minerval: Excellentissimus hic Medicorum Coryphæus, nec astrologiæ suam invidet laudem, dum Planetas in genere in cognoscendis temperamentis, Saturnum item in specie inter pestis causas, haud negligit. Taceo Recentiores nunc, non infimi nominis, Medicos alios, qui occulto in astrologiam & astrologicam medicinam feruntur amore! De J. *Fernelio* Ambiano, quid dicam? is *in de abditis* ita: *Gravis est eorum stupiditas, qui Sydera nihil in aëra nisi calorem aut frigus, imbres aut siccitatem, Lumine motúque suo inducere contendunt. Si illa bene constituta, omniũ vitam tuentur ac conservant, cur malè constituta, vitæ non incommodent? Illinc prima est ac præcipua rerum omnium salus & conservatio, illinc quoque interitus. Has causas atq; vires Soli de medio tollunt, & tanqvam nullæ sint, negant, qui hujus sunt contemplationis imperiti!* ô E. verè felices, qui secretiore hâc cognitione sapientissimi sunt: ,, qvâ neque ad præcavendos, neque ad ,, persanandos (pestilẽtes præsertim) mor- ,, bos, est ulla præstantior! Itaque (de peste ,, pesti-

Cælum occulta morborum causa.

,, pestilētialiumque morborū causis ita cō-
,, cludito) puræ simplicisque pestilentiæ causa est cœlestis configuratio, vim inferens, qvæ neque temporum mutatione, neque ullâ manifestâ qvalitate, sed solo eventu deprehendi potest! quid, qvæso, est, qvòd omnes æstates æqvè fervidę non sunt, aut siccæ? nec omnes hyemes pariter rigent aut humescunt? an diversæ Syderum commixtioni, diversitas ista accepta ferenda? qvì fit, qvòd pestis hæc boves, illa oves, ista sues, hæc gallinas, ista homines, corripiant? unde discrimen quoque facit *Poëta*:

Qvàm multæ pecudum pestes, nec singulæ morbi
Corpora corripiunt!

an causa in cœlo latet? de qvo iterum Vates:

Heic qvondam Morbo Cœli, miseranda coorta est
Tempestas, totóque Autumni incanduit æstus:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corripuítque lacus, infecit pabula tabo!

Manifestum heic nil si obcurrat, ad occultum illud recurras astrale θεῖον, quod per Te liceat dicere occultum Ignoran-

tiæ

tiæ aſylum! De *Chymicis* qvid addam, qvi in ſuis Vulcani operibus ſat experiuntur, qvid cœlum in componẽdis quibuſdam excellentiſſimis medicamẽtis poſſit? Sed nimis multa per digreſſionem hîc interloqui videor! Pergo in propoſitâ antè ſignorum parte. Quomodo iterum itaque, qui neſcis, ex ſignorum triplicitatibus ſibi partes cohærere dices, niſi qvæ ſint triplicitates, qvæve iſtis partes ſubſint, antè noveris? ut enim illæ in cœlo ſibi correſpondent, ita & hîc partes partibus, qvarum altera alteri ut condolet, ita remedium obfert: ventriculus condolet capiti, venter pedibus refrigeratis; hîc *curatâ unâ, curatur & altera!* Et quidnî jucundum, nî neceſſarium, hîc foret Medico, ſcire, partes illas ſub eiſdem vel contrariis hærere triplicitatum ſignis? cur utile non foret, *aſtralibus morbis*, certa ſua *aſtralia medicamenta*, ſub certâ planetarum (qvibus certæ ſuæ ſubſint partes) conſtitutione, componere? Sed nolo nunc eſſe prolixior, ne extra ripam vagando, ſolumq. προαύλιον facere videar. Anſam ſaltem hæc, inter alia, mihi dedère, cur de *Planetis Cœleſtibus*, (ex qvorum, ut & Stellarum fixarum cognitione, cũprimis dependet Aſtrologia) *Terreſtribus*

Cœlum in multis operationibus Chymicis nõ debet negligi.

Sympathia ſub Triplicitatibus.

bus item, bonam *Chymiæ* (cui bigæ, neſcio qvo vinculo me obligatum ſentio) partem replentibus (inter qvam, aſtrologię ſc. & chymiæ, planetarumque cœli ac planetarum terræ, qvam ſubinnui, bigá, dulciſſima clangit harmonia veluti muſica!) in medicinæ noſtræ aſtrologico-chymicę gratiam, qvid dicere propoſuerim: ubi ſi res omnis ex ipſo ovo, non haurietur, cogitandum erit: *decere aliud Tractatum, aliud Diſcurſum*, qvem bono nunc omine, bono ordine, introductis Planetarum ordinibus, & plenius ordiri & melius finire liceat! *Adeſte!*

INTRODVCTIO SATVRNI.

VEnio igitur ad Te primùm, ſupreme Planetarum *Saturne!* forſan tu, ſi rectè ominor, in cœli iſto collocabaris apice, ut, qvi malorum qvantacunque anſa es, ab inferioribus (qvæ proverbium inde mutent: *procul à Saturno, procul à fulmine!*) eſſes qvàm remotiſſimus: qvare benignus ille Jupiter, ceu arbiter, adſtante ad latus Phœbo, inter Te & Martem,

tem, medius esse voluit, ut utraque vestrûm temperaretur intemperantia, mitigaretur inclementia, premeretur invidia! Sed & tarda illa in *motu*, qvem triginta & unius annorum spatio conficere solet, saturnina testudo, isthuc loci coëgit Falciferum Senem: cui (ob tantam à terrâ & Sole ipso distantiam) adscribitur *frigiditas & siccitas*, (qvam & ex obscuro isto lumine plumbeoque colore deprehendere licebat) unde signis gaudet frigidis duobus, altero simul sicco, altero simul humido, *Capricorno* sc. & *Aqvario*. Hinc signaturam ex macrocosmo habet hyemis, ventorum, flatuum frigidorum, terræ-motuum: ex microcosmo; *lienis*, qui ex *Galeni mente* est melancholicus ac frigidus, instar præsidis sui Saturni; (ex *Gal.* dico *mente*: ex aliâ enim potest & lien nutrimentosum sangvinem, frigidiorem tamen & crassiorem eo, qui in epate ac corde conficitur, unde Saturni signaturam nihilominus non amittit, pro partibus inferioribus, frigidioribus ac crassioribus, nutriendis, præparare; id quod vel ex solo lienis venarum & arteriarum positu ac numero, inter multa alia, colligere licet) Saturno præterea nostro, ex humoribus & temperamentis debe-

Tardus Saturni motus.

Natura.

Domus in Cœlo.

Domus in Corpore.

Lien etiam sangvificat.

Temperamentum.

debetur ſignatura melancholiæ , hinc melancholici, frigidi ſiccique temperamenti, frigidis item ſiccisq; morbis ſubjecti, dicũtur *Saturnini*: Hinc & *actiones*, à melancholiâ prodeuntes, eidem noſtro planetæ adſcribere, easque Saturninas dicere qvis vetet? qvales ſunt: *è bonis*; eſſe in cogitando profundum; in agendo ſeverum; in conſervando & cuſtodiendo tenacem; in loqvendo & dando parcum; in laborando patientem; in diſputando gravem; in conſultando ſecretum; in vivendo ſolitarium; in ſedẽdo aut otiando continuum: (hinc vel oportet, ut nolint, *Podagricos* eſſe *Saturninos!*) in agro colẽdo, bonoque colligendo, ſtudioſum! *E' malis*; eſſe invidum, avarum, zelotypum, timidum, auſterum, pigrum, ſordidum, oſorem ſexûs fœminei, (*Saturnus* enim odit fœminas, niſi incitetur à *Venere*!) ſuſpicacem, pertinacem, mendacem. Ex *actionibus naturalibus*, illæſis læſisve, excretio nigrarum fœcum ad Saturnum quoq; ſpectat: unde & Saturninum proverbium: *homo-ſtercus!* hinc & Saturnini ſunt lienoſi, quibus nigra illa excrementa, nigræ item urinæ, non ſemper detrimento ſunt: purgatur enim multoties lien per urinas nigras: bonâ etiam in morbis

Mores & Actiones.

Lienoſorum excreta nigra utilia.

morbis crisei. Unde & aliunde colligere licet astrologo-medico, qvid Saturnus ex utrâque parte possit in temperamentis, ingenio, moribus hominum, inter qvos maximè saturnini sunt senes, vidui, agricolæ, fœneratores (Kipper vnd Wipper) adulatores, Plinij laudicœnæ, nempe propter cœnam tantùm laudantes (Die Schüsselfreundt / Dellerlecker / Schmorotzer vnd Troßbuben) de qvibus Poëtæ illud;

Quòd tam grande Σοφὸν, clamat tibi Turba togata: Martial.
Non Tu Pomponi; Cœna disertatua est!

His contrà pingve palatum, siccâ excipit qvadrâ, (thuet jhnen ein Ehr ahn/ vnd stößt jhn das Maul ahn die Tischeck) alter ille;

Non ego ventosæ plebis suffragia venor Horat.
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis!

Et quid non in avaris suis tentat Saturnus? Falcifer hic instar παιδοτρώκτυ, ceu cum falce suâ, omnia domat, amputat, devorat; cujus falcis Poëta meminit;

Quondam hoc indigenæ vivebant more, priusqvam Iuven.
Sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus *fugiens!* ----

Ita illi, instar noctuarum, vespertilionũ,

pervigiliumque draconum, super aurea hesperidum poma excubias agentium, etiam nocturnis suis Saturni falcibus, non tam, quæ habent, custodiunt, sed & aliorum bona domare, amputare, devorare, satagunt, ac congestis undique saccis indormes inhiant: juxta illud:

Horat. *An vigilare metu exanimes noctesque diesque?* Immò:

Juven. *Dispositis prædives hamis vigilare cohortem*
Servorum noctu Licinus jubet! -----

sive nunc bona talia

Juven. *--- crescant quocunq; modo, majoraque fiant*
Incude aßiduâ, semperq; ardente camino!

Avari votum: mea nil refert, dum potiar modò.

nil refert, dum potiantur modò Saturnini isti gulones (wann sie nuhr Sack vnd pack voll haben) quibus quis nō bene meriti præmij loco, etiam Hercules vel Jasones aliqvos, tanqvam draconum interemtores, vel ipsam Saturni infanticidiam falcem, colla crumenásve demetētē, exoptare possit aut debeat? sed (proh dolor!) ita fert Saturni nostri temperamentum, id quod meritò & ætas & preces avertere debebant: ast cùm diffidam de ætate, quippe quòd avaritia, hujus virtutis sit, ut cùm omnia vitia senescant,

ipsa

ipsa sola vitium juvenescat in senibus, qui qvò minus vitæ restat, hoc plus viatici congerunt: ideò unica istis aperta relinquitur ad preces diffugiendi porta, ad qvam non nisi saturninos, de quibus sermo, hîc vigiles stare velim: sin minus, patebit ipsis ultrò *ampla ad orcum via* ; ad qvam tamen condemnatos nolumus. Sed redeo ad id, unde digressus sum : ubi semel pro semper monendum erat, in temperamento eliciendo, non ex uno planeta solo (e. g. hîc ex Saturno, qvi vel solus alioqvin avarorum temperamenta regere poterat) sed ex diversitate, non tam positûs in schemate cœli, ejusque signis, qvam adspectûs cum cæteris stellis erraticis & fixis, hauriendum esse judicium, id quod ex prædominio qvalitatum exsuperantium colligere debeat vota, quæ hoc in loco ego ut colligam, instituti non patitur ratio. Addam saltem, quæ medico videbuntur fore usui. *Conceptionem* juvare Saturnum, nôrunt ij, qvi primum conceptionis & gestationis mensem, ipsi tanqvam planetæ fixo, tribuunt. *Nutritionem* qvàm maximè impediri à Saturno, si vitæ præsides, Solem ac Lunam, vitæque domicilium, horoscopum, malis feriat radiis, experientia satis prodidit.

Temperamentorum collectio astrologica.

Conceptio.

Nutritio.

Juvare poterit Saturnus, ad percipienda temperierum signa, formasque corporum cognoscendas, qvæ, etiam non visis, vel ægro, vel sano, ex solo Themate, sub intellectum, si non sub sensum, cadent Medico. Subsunt enim Saturno, ipsiusq; domibus, Capricorno & Aqvario, *corpora*, utpl. frigidiora, ficciora, staturæ mediocris, qvandoque gibbosæ aut alioquin macilentæ, cum oculis & capillis subnigris, magnis, raris, dentibus malè positis, (qvos ipsos apud multos deprehẽdi, qvibus vel solus Saturni Capricornus fuit in Horoscopo) pedibus subcurvis. Subsunt Saturno per se, & corporis *partes*: lien, Saturnus microcosmi (cuius noster septimi cœli planeta, primarius est dominus) ventriculus, vesica, matrix (hinc conceptio felicior fit, sub Saturni in fixo signo positu) auris dextra (hinc & tinnitus ejusdem auris quãdoque Saturni malis ad Mercurium solemque circa sextam radiis adscribitur) per accidens; ob signa Saturnina; genua, crura, tibiæ! hoc ita se habere, suo nuper malo expertus est, qvidam mihi vicinus, dum ex malâ Saturni (absit dicto impietas) directione, inter Helvetias primùm, mox & inter Tyrolẽses, Alpes, mox alibi, cum eqvo naufragium,

Figura corporum.

Partes corporis.

gium,id quod in præsens usque durat, fecit. E *facultatibus*, saturninæ sunt; *receptiva & retentiva*: è *saporibus*, Saturnus vult acetosum, amarum, acrem: è *coloribus*, plumbeum seu fuscum. Subsunt eidem Saturno & *morbi* à melancholiâ humorumque frigidorum defluxu oriundi, ut catarrhi frigidi, phantasmata ac deliria melancholica, paralysis, tinnitus aurium, odontalgia (qvam etiam Saturnus in horoscopo afflictus adferre solet) Icterus niger, lepra, hydrops, qvartana (Medicorum vulgò scandala sana) phtisis, colica, podagra, chiragra, ischias, item alopecia, cancer, scirrhi, appetentia canina, hæmorrhoidũ fluxus nimius, varices, sphacelus, hernia, qvam peculiari observatione, ex peregrino Saturni domini primæ vel sextæ, cum Venere, qvadrato circa sextam, in signis convenientibus, scorpio, leone &c. provenisse didici. Liceat igitur prædicere, atque sic per medicinam quoque præcavere tales morbos, ex figurarum cœlestium domibus, sextâ, primâ, octavâ, saturnique in istis aut domicilio, aut cum luminaribus potiss. ac marte adspectu, felici, infelici: atque hinc morbi vel graviores, vel gravissimi (etiam *curatu*) reddentur. Prodiisse & morbos oc-

Facultates.
Sapores.
Colores.
Morbi.

cultos, quos astrales dicunt, utpote pesté, febres malignas, aliosque epidemios, à Saturni, in signis venenatis, bestialibus, humanis, scorpio, leone, virgine &c. tépore potiss. conjunctionis alicujus magnæ, positu; experientia multos hactenus docuit: qvam utut multi oppugnare conati fuerint, expugnare tamen nondum, potuêre. Immò multi (è Galenicis quoq; scriptoribus) vel inviti q. inter pestis caussas retulerunt Saturnum in Leone: ut speciem hîc dicam pro genere! *summa*: cœlum non potest solo motu aut lumine in inferiora agere, nisi simul etiam occultè influat! dic qvæso, quid accidat in pestiferis illis morbis, qvi absque ullâ manifestâ præcedente alteratione, fiunt epidemii? recurremúsne hic cum *Hippocrate* ad θεῖον? Prævideat item Medicus, num, *Saturnus ex decimâ* forsan, in signis adspectibúsve violentis labsum ab alto, ex eóque gravem morbum minaturus sit, ut amicum, curæ alioqvin suæ subjectum, in tempore præmonere qveat! *Cautio enim & preces in astrologiâ & Medicinâ multùm, immò plurimùm valent!* Qvin & è vegetabilibus sunt *herbæ arborésve saturninæ*, qvæ morbis saturninis ex analogiâ mederi possint. *Signaturas* hic adspice, *Signaturæ.*
sic

ſic pervenies ad cognitionem plurimam: latentes enim eſſentiæ produntur ſæpe ſæpiùs per characteres, certo naturæ conſilio extus expreſſos. *Adſpice, odora, guſta, tange ac collige*, ita colliges, colores, odores, ſapores, formas externas ac locorum ſitus, non parùm conducere ad præſentem aſtralem ac planeticã vegetabilium cognitionem, inque medicinâ quoque faciendâ modum. Adſpice Saturni in herbis adſpectum horridum, conſidera colorẽ plumbeum pallidúmve, odorem venenatum q. vel omninò ingratum, ſaporem ſtipticum, formam ſtriatam ac macilentam, locum creſcendi uliginoſũ, nemoroſum, tenebricoſum, ſolitarium, ſordidum; ita primum ingreſſum facies ad viam planeticam, qvâ ſi iter diu feceris, experieris vel tandem, qvid Planetę in herbis, qvid herbæ in morbis poſſint? Sed accedamus ad ſaturninum in regno vegetabili imperium! Imperat potiſs. *falcifer ille ſenex* iis, quæ figendi, incraſſandi, dolores ſiſtendi, (hinc ſaturnina ſunt *opiata anodynáve*) lienem, microcoſmicum illum Saturnum, afficiendi, morbos ejuſd. vel conſimiles ſaturninos, *elephantiacos, leproſos, cancroſos, venenoſos*, & inducendi & educendi vim habent: qvid *Saturni facies.*

Venena venenorum venena s. remedia.

dico de *inductione* & *eductione?* hoc dico: hoc probo: saturninum quod inducit venenum, idem & ipsum educere potis est, vi nempe antipathicâ, per solare aliquod vel extractâ: vel mitigatâ. Sicut n. Sol cum Saturno, ita *solaria cum saturninis* gerunt antipathias. Igne igitur hic opus chymico, ut ἀντιπαθὲς fiat συμπαθὲς, & συμπαθὲς ἀντιπαθὲς. Ita fiet, ut Saturni saturninum venenum, saturnini veneni fiat saturninum remedium. Sed remoto genere saturnino, eamus ad saturninas aliqvot species, qvas ex vegetabilium ordine sub Saturni Imperium ita reducere liceat. Saturnini itaque regni, seqventes nobis sunto vegetabiles subditi: è qvibus primam Saturno clientelam fatetur *Aconitum*, (saxeis *Aconibus* plerumque adnascens: unde *Metamorphosis*:

Correctio saturninorum.

Saturnina vegetabilia eorumque aliqva in re medicâ facultas.

> *Qvæ quia nascuntur durâ vivacia caute,*
> *Agrestes* Aconita, *vocant.*

Aconitum.

Hinc non tam ob locum, qvàm ob venenum, hîc imperat Saturnus: *sunt* enim & *saxa Saturni*, *suntq; venena Saturni.* Nec tam venenum, qvàm veneni remedium heic latet! Extrahe Aconitum cum spiritu vegetabili, & experire vim contra Saturni venenatissimam pestem. Mercurialem adi, is dicet tibi, solam Aconiti radi-

cem

cem venenum alere: an ergò Solis radij, herbæ ſtipitem, folia, flores, liberè penetrando, venenum antipathico modo extrahunt? Reſtans autem Aconiti noſtri venenum, tantum eſt, ut & lupis, unde λυκοκτόνον, & Calpurnei (qvi *Aconiti tetigit genitalia ſucco!*) *Romæ* Uxoribus, mors inde legatur illata. Dic ergò ſaturninas herbas venerem non tam compeſcere, qvàm & penitus occidere poſſe, ob Saturni cum Venere & Sole, illâ, pudendorum; hoc, cordis; in microcosmo, præſidibus, antipathiam. Liceat demum de Saturni præſidio conjecturare ex eo, qvia Aconitum hauſtum, plumbeos, lividos [qui ſpleneticorum color eſt] immò maniacos ipſos, omnes ſaturninos reddit. Sed & occaſione loci Pliniani addamus aliud; unde Aconitum, reſpectivè loqvédo, ſi nempe aliud venenum intra corpus antè latuerit, venenatam corpori vim haud inferre, colligere liceat ex indicatâ Plinij mente, quæ ſic habet: Aconitum nempe, pari intra corpus invento, qvo cum certet, homine ſuperſtite, omninò cum æqvali ſuo veneno, aboleri ex corpore: at nullo inibi invento veneno, jugulare hominem! Dicesne? *Duo venena, intra corpus illæſum, ſecum pugnatura?* qvo *Auger. Ferrer.*

fine Italus forſan Medicus in pilulis ſuis mercurialibus, mercurium & ſcammonium, venena utraque cruda putans, conjunxit? ut alterum alterius vim reprimeret? An *Mœcha ap. Auſon.* ex inſperato accidenti, vitam, qvam mortem volebat, mariti, cum Mercurio, poſt venenatum toxicum exhibito, conſervavit? de qvo *Poëta Gallus* ita:

Auſon.

Toxica *zelotypo dedit uxor* Mœcha *marito*
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datũ.
Miſcuit Argenti *lethalia pondera* vivi!
Cogeret ut celerem vis geminata necẽ.
Dividat hæc ſi qvis: faciunt diſcreta venenum,
Antidotum *ſumet, qui ſociata bibet.*
Ergò inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceßit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petiére receſſus,
Lubrica, dejectis, qvà via nota, cibis.
Qvàm pia cura Divûm! *prodeſt crudelior uxor:*
Et cùm fata volũt bina venena juvãt!

Unde colligere iterum poſſes, *bina venena juvare*, non corrumpere naturam; qvę, ex Poëtę deciſione, *Antidotum ſumet, ſi ſociata bibet* venena! Credo, poſt exhibitũ, vel antè in corpore latens, venenum, antidotum

tidotum ſumi qvandoque poſſe *Mercurium* etiam *vivum* cùm & vivus, abſque ulla pręparatione, contra venenatos vermes, notis exemplis, ſine noxâ ſumi poſſit. Fiat periculum! Sed an ſine periculo poſt napellum, Arſenicum, vel poſt Arſenicum napellus, vel alia venena, poſt alia, exhiberi tutò qveant, id experiare tuo cum periculo! periculum feci in *cane*, ſed bonus hic non reſurrexit canis à mortuis! licèt ſint, qui & *Arſenicum* in pilulis *intra corpus* qvandoque tutò exhibeant: gloriatur quidam *Medicus Romanus*, in ſcripto contra *Mindererum*, de dicto Arſenico, multoties à ſe, ſine damno, hominibus propinato. Nolim tamen hâc in re vel diſputatorem vel Empyricum heic agere; vel anſam dare ad magna dubia! Liceat mihi potius *ſaturninum* noſtrum promovere *ſceptrum*, ut jurare porrò ad id poſſint ſaturnini ſubditi, qui ordine ſe ſiſtent!) Proximum itaque Saturno hero, homagium pręſtant clientes; *Agnus Caſtus* (ſaturninam in exſtingvendâ Venere, ac gonorrhæa ſiſtenda, vim poſſidens) *antirrhynum* (cujus ſemen q. ſaturnini ſceleti nudum cranium ſignat, ſicut & caput Monachi, alopecicum raſúmve caput, in Taraxaci perdito flore; iſthinc

Arſenicum intra corpus exhibitum.

Agnus caſtus.

Antirrhynum.

isthinc desumta vis bona, vis mala, ad incantamenta ac philtra!) *Apium* (quod nigricans saturninum spirat odorem, unde non tam sepulchrorum olim confectę ex Apio coronæ, qvàm & agonizantibus dictum proverbium: *Apio indigent!* vermibus item intra Apij caules progenitis saturnini quid inest, dum sterilitatem, Saturno debitam, inducunt) *Arbor fætida* (quæ non tam ratione genituræ umbrosæ, qvàm occasione medicinæ splenicæ Saturno debetur: latet enim in fætidâ hâc arbore, pro curandis scirrhosis ac qvartanariis, optimum Arcanum: cui, ex diaphoreticâ vi internâ, opem fert decoctum ejusd. ex aq. cardbd. agrimon. & origani; scirrhos autem ab extra tollit cinis dictæ arboris in emplastro. Abundant & cortices hi fætidi sulphure anodyno, unde, mitigans dentes dolentes, parari potest remedium, qvod Saturni viribus pollet: sunt enim Anodyna Saturnina. Sed & Marti quid debetur ex hâc arbore, cùm ex carbonibus pulverem liceat cōficere Pyrium!) *Asphodelus, Asplenum,* (unde præclara fiunt deobstruentia splenetica: libenter crescit asplenum in saturninis umbris: unde & tutius, juxta cæteras herbas splenicas, noctu sub lunaribus

Apium.

Arbor fætida.

Asphodelus.
Asplenum.

ribus colligitur umbris; [eſt enim & Lunæ cum Saturno commercium aſtrale;] qvàm de die ſub radiis ſolaribus, qui ſaturninæ efficaciæ contrariantur. In praxi excellens aſpleni fit uſus ad exſtirpanda ſaturnina mala, qvartanam, icterum nigrum, melancholiam, calculum, antiqva ulcera!) *Aſter* (venenum ſaturninum pesſimum, unde & lepra induci qveat. Dubio procul Judæi, ante trecentos & qvatuor annos, hàc herbâ, inter alias, mixtim cum humano ſangvine, ad intoxicandos Galliæ fontes, uſi fuere: qvin & ejuſdem herbæ uſu, rixæ inter conjuges oriri poſſunt. Audiviſtis hîc venenū & rixam, à Judæis & cacomagis excitata mala! Vos anti-magi eſtote, herbamque, mali cauſam ita præparate, ut non tam afferre, qvàm aufferre, immò felicius, qvàm ut intulit, aufferre malum qveat. Extractum nempe, & ſimplex & compoſitum, non tam peſtis, qvam venenatorum philtrorum, antidotum eſt!) *Atriplex* (potiſs. fætidum, aliis *vulvaria*; ob odorem hædinum, qvem ubi ſubodorârint homines ignari, dicere ſolent, es böckelt: hinc Saturnus ſuper fœtantem hædum cum fœtente atriplice, oſtēdi per emblema poſſet imbecilli veneri! communis

Aſter.

Atriplex.

tamen & omni atriplici, naſcendi locus eſt ſordidus: unde freqventer fœtidum illud ad muros, qvos urinâ commaculârunt canes, naſci ſolet: nec ſolet hoc noctu adeò fœtere, ob antipathicos Solis abſentes radios, qui ſaturninum de die fœtorem movere ſolent: hinc non tam ob ſorditiem, qvàm pallitiem ab eſu contractam, atriplice gaudet Saturnus. *Blitum* ſaturninum hîc idem eſt, imbecillitatis venereæ cauſa: unde *conjugis* proverbium: *Vir bliteus!*) *Burſa paſtoris* (cui Saturnus vim adſtringentem adflavit contra varios fluxus, etiam venereos: hinc non tam narium hæmorrhagiæ, cum aceto ad manus interiores adtrita, dyſenteriæ item ac diarrhœæ; qvàm gonorrhœæ levamen adfert: idque ex Saturni cum Venere antipathiâ. Gonorrhæam itaque facilius curabis, ſi ſub Saturno forti, Venere autẽ debili, colligas tuam burſam!) *Cannabis* (ob fœtorem cimiceum ſaturnina, unde & fœtentes cimices pellit: mirum fœtidum Saturni animalculum, quod fœtidam ſaturninam herbam odorare neqveat! Rurſus & hîc in ſemine cãnabis apparet antipathicum Saturni cum Venere odium, cùm Veneris partum pati neqveat, ſed abortum faciat. Saturninam

Blitum.

Burſa paſtoris.

Cannabis.

novi

novi fœminam, cui per triennium obstructę, solo seminis cannabini esu rediere menstrua: dic, saturninum semen huic expulisse venereos menses: unde iterum fortior fit cannabis sub Saturni fortitudine collecta: cautio tamen adhibenda in dosi, ne mania aut ejulatus inducatur. *Herodotus* hujus rei fidem facit *l. 4.* in ejulãtibus ex cannabis fumo, Scythis.) *Cappares* (saturninis spleneticis ac melãcholicis gratissimum ciborum condimẽtum, unde lien, Saturno porta, reseratur. *Cappares.* Signatura hic adest renum succenturiatorum, in qvibus magna multoties atri lividique succi aut humoris copia colligitur, licèt extrà plerumque adparere soleat flavities: multas lienis morborum causas, in renunculorum dictorum obstructione latẽtes existimo: adsunt quippe istis & venulæ & arteriolæ: quibus deoppilãdis cur non qværeretur remedium specificum? aliâs & cappares cum saturninâ vesicâ communionem habent, unde & urinam, & ipsum, Saturno subjectum, calculum pellunt: huic commodo, certo Saturni tempore ex capparibus destillari potest oleum, quod cum *ludi* [*Theophrastino verbo*] *humani* oleo mixtum, eò fit celebrius!) *Cicuta* (ob vim deleteriam satur- *Cicuta.*
nina,

nina, unde & apud Athenienses, morte plectendi, hujus herbæ succo enecati. Qvamobrem decantata illa ap. Empiricum vetula, meritò in admirationem trahenda, qvæ triginta cicutæ drachmas devoravit: forsan ob singularem cordis solaris cum saturnino veneno sympathiã; qualis etiam sine noxâ fuit in pulcerrimâ virgine, meris serpentibus alijsque cibis venenatis nutritâ: singularem siquidem Saturnus cum Sole amicitiam in Thematibus illorum contraxit, qvibus vel nulla vel parva ex venenis obtingere solita est noxa: ubi vides sympathiarum & antipathiarum aliqvod ex cœlo argumentum. Sed & cicuta nostra ideò Saturno debetur, quia saturnina hæc inducere cõsuevit symptomata, impotẽtiã ad motũ, vertiginem, visus obscuritatem, sterilitatem. Saturninum item cicutæ liqvor edit effectum in sistendis defluxionibus externis, potissimum calidis, ad mamnillas etiam, unde inflammationibus clauditur janua!) *Consiligo*, (Napelli species ap. Plin. non tam venenum, qvàm contra venenum est hæc herba: si enim sub bono Saturni ac Solis adspectu collecta, de collo canis suspendatur, nullum ipsi nocet venenum, nocet autẽ, si removeatur:

Consiligo Napellina.

poterit

poterit E in amuletorum uſum trahi. Saturninos quoque pediculos pellit, in ungvento vel lixivio adhibita. *Romano* illi *Syllæ*, ſi de hoc remedio conſtitiſſet, forſan ex pediculis non obijſſet.) *cuminum* (quod in multis ſaturninis malis utile: inprimis vi aliqvâ ſaturninâ adſtringente pollet: hinc hæmorrhagiam narium, nimium menſtrui fluxum, nimiosque vomitus, extra applicatum ſiſtit: diſſipat nihilominus & grumos ſangvinis: oleum cumini deſtillatum ſaturninæ quoq; gonorrhææ prodeſt: facit item animalia cicura, quorum turba Saturnum æmulantur, dum domo non auffugiunt: columbariorum *ſecretum* hoc eſt, ut cuminum cum aſaro columbariis indant: ita cicures retinent columbas. Econtrà & cuminum vel ſuffumigatum vel conclavibus adſperſum, ſaturninos pulices cum culicibus in exilium mittit:) *cupreſſus* (ſaturnina Saturni ſepulcrorum olim corona: hinc Poëtarum lugentium ad cupreſſum alluſiones: ſed & cupreſſus in niveis Saturni montibus creſcit: colorem item nigrum, qui Saturni eſt, multis rebus, potiſſimum pilis, adpingit) *cuſcuta* (qvæ lieni melancholico, morbo item venereo, extremam fert opem: immò, laudem mere-

Plin. l.22. c.6.

Cuminum.

Cupreſſus.

Cuſcuta.

tur ex reclusione mesenterij, cujus venularum, vulgò, mesaraicarum, signaturam ostendit: unde lientericorum, epaticorum, ictericorum, hydropicorum gaudent curæ! Sed & aliâ signaturâ capillis delabentibus remedium ostendit: *)epithymum* (saturnino-splenicum, cujus virtutem sat experiuntur, qui lienis affectibus medentur: prodest quippe in ictero nigro, melancholia, hydrope, qvartanâ lue item venereâ & obstructione vesicæ. Fiat autem medicinæ sub Saturno, morborum dictorum authore astrali! *) eqvisetū* (cujus decoctum omnem hæmorrhagiam saturninâ facultate sistit: sal quoq; λιθοντριπτικὸν est: prodest quin & in aliis saturninis malis, hydrope, asthmate, herniâ, tumoribus *) ficus nigra* (cujus cineres calcinati, potui dati, grumos sangvinis dissipant: refrigeratis item pedibus succurrit ficuum calcinatus pulvis cum cerâ emplastratus: ex signaturâ quoque fructus ipse expellit variolas ac morbillos: notum est, ficum cum juglande ac rutâ pellere saturninam pestem: taceo morbos saturninos alios, qui ex præsente vegetabili levamen sentiunt: unum saltem addo, ficum, non tam corrosivi, quàm anodyni quid, in se alere, unde vis exstirpandi,

Epithymū.

Equisetum.

Ficus nigra.

pandi, extrahendi, diſſipandi, dolores ſiſtendi, cujus ultimæ facultatis ope, præſens, in mucilagine, ad odontalgiam ſaturninam, latet remedium:) *filix* (*Nympheapteris Dioſc.* qvâ ſaturninâ herbâ mira præſtantur, ſi ſub Saturni fortitudine in M. C. colligatur: radices hujus ſignaturam oſtendunt aqvilæ: lienis & matricis ſaturninis obſtructionibꝰ mirè prodeſt decoctum: mirum, qvod *Avic.* & *Serapio* dicunt filicem cum liene aſini, mulieris collo adpenſam, ſterilitatem ſaturninam inferre!) *fumaria* (Saturno microcoſmi conſervando ac curando accomodatiſſima: contra ſcabiem ſaturninam mira hîc latet vis) *Geranium fœtidum* (qvod contra uteri ſuffocationem, calculum, veſicæ obſtructiones & hæmorrhagias facit) *helleborus* (cujus folia, ſub felicibus Saturni, Jovis, Lunæ, radiis collecta, cum ſacharo confecta, ſaturninam ſenectutem retardant: omnibus quoque ſaturninis morbis prodeſt helleborus; quo ipſo *Melampus Paſtor*, veſanas *Prœti* filias reſtituit, unde melampodium & prœtium! Dæmoniacis, epilepticis, apoplecticis, hydropicis, ulceroſis item ſaturninis, commoda hinc quæruntur remedia) *hyoſcyamus* (Scribon. *altercum*;

Filix. *Fumaria.* *Helleborus* *Hyoſcyamus.*

quòd ſub Saturno potiſſ. in ſcorpio propinatum, altercantes ac delirantes faciat: eſt autem & hîc ſignatura ſcorpij ſicut in echio ſcorpioide latet in hyoſcyamo vis anodyna ſaturnina, unde ſub Saturni fortitudine oleoſus liqvor ad podagram & odõtalgiam efficaciſſimus deſtillari poteſt: per antipathica ſolaria ſi fiat correctio chymica, habebitur arcanum in peſte, cujus carbunculos etiam maturat emplaſtrum de hyoſcyamo) *Lappa major* (cujus radix ſub Solis & Lunæ conjunctione collecta, ſaturninum dentium dolorem certò auffert: ſub oppoſitione verò luminarium reſervata herba antiſplenetica fit: folia pulveriſata, ſaturninis ulceribus medentur: ſal ejusd. cum ſale fraxini, cum aqvis antipeſtilentialibus exhibitum, diaphoreticum fit in peſte.) *Lupinus* (in qvo ſcirrhorum latet ſignatura hinc lienis quoque obſtructionibus qvæſita medela) *Mala medica* (Jovi potius vel Veneri, ob amœnitatem & pulchritudinem debita; ſed credite ſicut diverſæ operationes ab uno proficiſcuntur ſubjecto, ita & ob diverſos unius rei in re medicâ uſus, poſſe diverſorum item planetarum in uno ſublunari corpore influxus ac vires habere locũ: Saturno itaq; hic

Lappa maior.

Lupinus.

Mala medica.

hìc debemus malorum medicorum in viperarum, canum rabidorum, aliorum, venenatis morsibus, usum, qvem *Athenæus & Diosc.* apprimè observârunt: saturnina & ista & alia sunt venena, qvibus hinc resistitur: qvin, sicut splen melancholicus ridere facit, ita saturnina nostra *mala* hilaritatem inducunt, dissipatâ melancholiâ: hinc & splenica sunt, quæ Saturni sapiunt genium: vermes item ac calculi saturnini sunt, qvos aqva è limonibus, Saturni tempore, destillata felicius expellit. nec infelix fuit vates, dum non modò tristes in malis medicis succos, tardumque saporem, sed & facilem, contra venena ac asthma vel difficultatem anhelandi, vim in eisd deprehendit: tristitia a. tarditas, venena, asthma, Saturni sunt: ne fallere videar, audiemus pulcrè canẽtem:

Medica *fert tristes succos, tardumq; saporem* *Virg. 2. Georg. de arbore Medicâ.*
Felicis mali: *quo non præsentius ullum,*
Pocula si quando sævæ infecére novercæ:
Miscuerúntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciémque simillima Lauro:

Et si non alium latè jactaret odorem,
Laurus *erat : folia haud ullis labentia ventis:* (Medi
Flos apprimè tenax : animas & olentia Ora fovent illo , & senibus medicantur anhelis.

Sed & saturnina, in malorū Medicorum majorum, s. limonum rugosis corticibus, apparet, pustularum, ac leprosæ scabiei, signatura: unde curatio rugarum, scabiei, lepræ ex analogiâ: *aqua destillata, ac sal*, è solis corticibus paratum, arcana hîc sunt: incidit ridicula modò mentio agyrtæ, mali Medici, (pertinent & agyrtæ, Italorum *cerletani*, ad Saturnum : unde duplici occasione jocum adnectere haud nefas erit) is cùm in pharmacopolio carnes mali medici contundendas legeret, de suo malo corio, *malicoriis* haud digno, lusum iri, ratus, arreptâ fugâ consuluit saluti; de qvo & jocosa Manilij vena:

Manil. in epigr.

Curant anhelum Plenus & Chiron senē,
Agyrta Plenus, *arte* Chiron *maximus.*
Chiron jubet de carne mali medici
Seplasiarium parare pharmacum:
Lecta schedâ illicò in pedes se conjicit
Agyrta, se peti ratus Medicum malum.
Sic arguit sua quemq; conscientia!
Sic ipsa sese prodit ignorantia!

Forsan

Forſan Saturnus ac Mars tum temporis bono illi agyrtæ Pleno, fraudulentiæ pleno, non fuerunt in domo mortis, aliâs in mortario contuſus fuiſſet nequam! ſed àccipite jocum!) *mandragora* (non tam Saturno, qvàm Lunæ ſubjecta, nec enim Luna à Saturno, tanqvam vidua à viduo, diſſentire videtur: facultas hìc adeſt narcotica ſaturnino-lunatica, hinc ſomnus, inciſionis vel ſectionis tempore, induci poteſt: multa equidem Saturni mala ex crudâ proveniunt mandragorâ, qvæ tamen aſtrali chymicoque modo præparata eisdem levamen adfert: maniæ potiſſ. atque eriſypelatum cura in hâc herbâ latet. Saturnus quoque mandragorâ gaudet ob præſtigia: forſan & *Medéæ* corona *ap. Senecam* hinc facta) *melampyrum* (quod ut nominis ita ſignaturæ ratione & nigritiem & uſum Saturno debet: ſacer Saturni ignis exſtingvi hinc poterit) *muſcus* (ſaturninis potiſſ. petris adnaſcens, cujus decoctum alopeciæ contrarium eſt: urſi, inflictum ſibi vulnus muſco obſtruentes, ad ſiſtendum ſangvinem hinc monſtrârunt remedium: antiqvarum utpl. arborum muſcus ſaturninâ facultate, anodynus eſt: vulgus ex parte id novit, ideò muſcum vel ſpongiam potius cynosbat.

Mandragora.

Melampyrum.

Muſcus.

fruticí adhærentem vocant Schlaffäpffel) *opium* (pre omnibus anodynis saturninú, unde extremi mitigantur dolores : nec metuere hîc licet *crudum*: tantum siqvidem venenum, quantum putatur, frigidum non est: apage frigiditatem, qvia specifica atque occulta anodyni vis subest: si quid mali hîc metuis, *extractum* fac cum spiritu acetoso, cui adde extractum croci, cum magisteriis perlarum & corallorum: correctionem autē institue cum spiritu vitrioli, qvi narcoticos potis est figere spiritus: proh qvanta Saturnus hic opiatus coërceat mala dolorifica, pleuritidem, colicam, dysenteriam, suffocationem ab utero, dolores alios!) *pastinaca lutea* (qvæ sub Sole in cancris, Luna in leone, mutatis ita luminarium domiciliis, collecta, faciei sudanti malevolè admota, leprosam reddit, vi à Saturno ortâ) *pastinaca sylvestris* (σαφυλινον ἄγϱιον, insanos reddens) *phyllitis* (cujus decoctum contra serpentium saturninos ictus efficax est: in colicâ item, diarrhœâ, ac lienis affectibus, Saturno debitis, herba optima: sed & Saturni vis fortior, si collectio ante Solis fiat exortum, Saturnus qvippe tenebras ac umbram amat) *pinus* (cujus fructus, cortex, resina, multis Saturno adscriptis

Opium.

Magisteriū opiatum.

Pastinaca lutea.

Pastinaca sylv.

Phyllitis.

Pinus.

ſcriptis malis remedia ferunt: oleum è nucibus pineis, ſub certâ Saturni conſtellatione deſtillatum, ſecreto modo curat apoplexiam: aqva verò deſtillata, contra faciei rugas ac mammillarum excreſcentias facit: quærunt & phtiſis, hepatitis, inflammationes, ulceroſæ affectiones, hinc certas medelas: fumus corticis contra teneſmum; decoctum ligni in aceto & aq. rorism. contra odontalgiam; pulvis foliorum, contra mala hæmorrhoidalia, valent.) *polypodium* (cujus radicis pulvis ſaturninum narium polypum exſtirpat, ubi cura ſtatim in nominis fronte latet: *polypus* n. & *polypodium ſ. polypi odiũ* non multis diſtant literis: utrumq; multis it pedibus, hinc ſignara ſerpentis polypi! maximè autem ſaturninum eſt polypodium, qvod intra & circa ſalices creſcit: ſentit enim & ſalix Saturni imperium, hinc ſaturnina ex ſalice magia: icterus præterea niger, quartana, melancholia & terrifica ſomnia, ſingula Saturni mala, polypodij uſu fugantur.) *pruna ſylveſtria* (quæ mirâ ſtringendi vi, à Saturno profectâ, pollent: hinc inteſtini recti prolabſus ſtatim reſtringitur: ſuccurritur & aliis aſtrictione opus habentibus: qvare vinum acatiæ

Polypodiũ.

Pruna ſylveſtria.

vel alia inde parata medicina, tantopere valet in Dysenteriâ, pleuritide, aliis. Magi hìc Saturno abutuntur, dum aqvæ ex immaturis his baccis destillatæ usum malè adhibent.) *ruta* (cujus semen crucis signaturam gerit signo, qvòd veneficiis etiam obsit: observare in hâc herbâ licet sympathiam & antipathiam, ob præsides antipathicos Solem ac Saturnum; unde & enecat homines, veluti *Diosc.* de Rutâ, in *Macedoniâ circa Halyacmon* amnem crescente, tradit: & à morte pestiferâ liberat: qvare ingreditur tripharmacum antipestilentiale. Lieni etiam saturnino summè prodest, testimonio curæ antiqvartanariæ, in qvâ ruta cum salv. & aceto ad pulsus adplicata, egregiè præcellit: sympathicum itidem & antipathicum qvid vides in rutâ, unde tand. fit harmonicum. Nam

Ruta.

Schol. Salern.

Salvia cum rutâ faciunt tibi pocula tuta! altera quippe alterius excitat vires.) *ruta capraria* (quæ non tam contra lienis morbos, quàm pestem ipsam facit: hinc toties ac toties vel solus hujus syrupus mihi laudabatur in *Nosocomio Mediolanensi*) *sabina* (qvâ Mantici sæpius abusi ad præstigia saturnina: Vesicæ qvoq; matricis & lienis affectibus accommodata est

Ruta caprarin.

eſt herba: ſicut Saturnus occidit pueros, ita & ſabina cum aſaro potiſſ. confecta, fœtum enecat expellitq; mortuum) *ſalix* (in qvâ latet vis magica, [unde *Scythar. Virgæ ſalignæ* ap. Herodot.] ob imperfectũ ſemen, hinc *deſponſatis* propinatũ ſterilitatẽ inducit, quod malũ à ſaturno, ſterilitatis patre, profectum puta: venerei ſciant, ſibi à deſtillato ſalicis oleo frenum injectum iri: qvod oleum eo fortius fit, ſi ſub contrario ſaturni venerisq; adſpectu conficiatur: Saturnus enim triſtitiæ, Venus lætitiæ, præſides, contrariis eunt pedibus) *ſcolopendria* [ſaturno microcoſmi acceptiſſima] *ſcrophularia* (tenens ſignum verrucarum & mariſcarum ani: unde ex ſignaturâ petantur remedia ſaturnina: præcaveri hoc modo ex dictà herbâ poſſunt hæmorrhoidum mala) *ſena* (humorem ſaturnino-melancholicum exturbans, ſaturniq; domicilium ex fundamento reſtaurans: cum ſale Senæ extructus lienis murus eò fit arctior ac robuſtior!) *ſerpentaria* (qvâ ſerpentes vulnerati opem ſibi ferre viſi: hinc auxilium contra venenatos morſus: uſus item optimus eſt in pleuritide, dyſenteriâ, herniâ puerorum, præſ. ſi pulvis exhibeatur cum appropriatis) *Seſeli maſſilienſe*

Salix.

Scolopendria.

Scrophularia.

Sena.

Serpentaria.

Seseli. *silienſe ſ. ſiler montanum* (cujus locus ſaturninus in convallibus ſalebroſis, montium infrequentatorum jugis ac ſylvarum ſolitudinibus: uſus item, olei ac ſalis potiſſ. in affectibus ſaturninis, pſorophtalmiâ, odontalgiâ, apepſiâ, icteritiâ nigrâ, colicâ, calculo, manifeſtus eſt) *ſolanum* (vi pollens anodyno-ſaturninâ: hinc doloribus vigiliisqve parata medicina, qvæ in aqvâ deſtillatâ & decocto frequentior eſt: latet qvinetiam occulta in nimio ſolani baccarum uſu inſania: exemplũ proponit Tragus in peregrinatore qvodam, qvi aliqvando per ſylvam iter faciens, pulchroque rubrarum ſolani baccarum amore captus, tantam copiam ingeſſit, ut altero inde die non niſi inſaniret: cujus inſaniæ cura in Theriacæ, vini veteris opt. & vini abſinthites uſu, conſiſtit) *Tamariſcus* (Nicandri μάντιον, qvòd manticæ arti olim inſervierit: nec enim *Ægyptiaci* tantùm *Sacerdotes* in Jovis feſto tamariſci coronis; ſed & *Scythiæ Magi*, immò ipſe *Apollo*, Tamariſci *virgulis*, ad miracula atq; incantationes olim abuſi. Sal nihilominus è cineribus hujus fruticis per artem confectum ventriculo hod. ac lieni amiciſſimum, dentes item ac veſicam juvat: qvi effectus

Solanum.

Tamariſcus.

effectus ut ſaturninus eſt, ita & naſcendi locum Saturno debet tamariſcus, cùm magna ejus copia intra Rheni ac Danubij ſaxa, præſ. propè Argentinam & Ulmam, emergat. *Democritus* primus ſpleneticis ſuibus aqvam extinctionis carbonum tamariſci, propinaſſe creditur. *Columella* in aridis æſtatibus ex oporinorum fructuũ eſu hujus porcini mali, cui curando ac præſervando, tamariſcum in lynteres ſuadet, ortum obſervavit. *Serapio* duas leproſas ac ſplenicas, ſolo radicis tamariſci ac paſſularum decocto, reſtitutas vidit. *Dioſcorides* ſpleneticorum vaſa è tamariſci ligno parat: qvæ ut crebro ubiq;, ita bono hod ſunt in uſu. Externum à tamariſco auxilium præſtatur, in extirpandis lendibus, pediculis, odontalgiâ, ulceribus manantibus, gangrœnâ, mẽſibus albis, colicâ, ſcirrhis lienis: quæ mala cùm omninò ſaturnina ſint, cur tamariſcus juvans Saturno denegaretur?) *Taxus* (cujus vis adeò narcotica, ut & ſub Taxo dormientes nunquam credantur edormituri: ex hâc analogiâ vel ſignaturâ de perpetuo inferni ſomno, prudentiſſimi ſunt verba Ethnici:

Democr.

Colum. l. 7. c. 10.

Serap. c. 31.

Dioſc. l. 1. c. 110.

Taxus.

Horrent opacâ fronte nigrantes comæ,
Taxo imminẽte, qvam tenet ſegnis ſopor!

Senec.

Sed

Sed & umbrosus ac tenebricosus genituræ locus, argumentum hic præbent Saturnini Dominij; quia

Senec. *Taxus & cupressus & nigra Ilice*
Obscurat nutat sylva)

Verbena. *Verbenæ* tandem inesse Saturnum, testatur non tantùm fuga phantasmatum ac cephalalgiæ, ex herbæ hujus amuleto: sed & varia saturnina incantamenta inde facta idem produnt. Nolo nunc esse prolixior in recitandis reliquis, qvæ qvilibet, cui placuerit conditio, ex nigris, stipticis, amaris, plurimisq; bacciferis vegetabilibus ingratis, huc transferre poterit.

Collectio. Notetur saltem, ut collectio fiat sub Saturno, forti existente, in suis dignitatibus, non læso à Marte ac Sole, qui ambo è diametro contrariantur frigido nostro Saturno.

Herbæ antiqvorũ ferales. Unum addo, Antiquos Saturno tribuisse herbas Diti sacras seu ferales, [Saturnus enim & dominus est sepulchrorum; hinc ipsius imago freqventer cum falce juxta sepulturarum loca depingi solet] eò quòd sepulchra istis ante cadaverum inhumationes fuerint conspersa, unde nec tum conviviorum coronas ex eisdẽ flectere licebat. Ex vegetabilibus hæc p. t. sunt: qvæ ad Saturnum ipsum *per se* referre huc lubuit: per accidens,

dens, ratione *signi capricorni*, in qvo Saturni exstructa domus, tribuam nunc, coronidis loco, ea, qvorum essentia consistat in superfluâ, parùm spirituosâ ac q. venenatâ materiâ, qvæ nisi cum aceto destillato vel alio quodam antipathico solari, corrigantur, parum spiritalis ac specificæ virtutis exserant: qvorum item, ut & enumeratorum, sympathia interna sit cum liene & visceribus ad digestionem ac retentionẽ facientibus; externa, cum genubus ac tibiis, qvæ capricorno subsunt; antipathia autem cum aëreis ac malignis vaporibus, partes saturninas turbantibus, cum cachexiis, tumoribus, scirrhis. Hoc in negotium in specie traho *morum, myrtillorum baccas, rubum idæum cum fructibus, nigro ac rubro, cerasa sylvestria nigra, marrubium nigrum, helenium sylvestre, calendulam, scarléam, cyanum majorem Matth. seu verbas cum* (nigredinem saturninam in se alens: hujus semen si sub Sole in cancris in vino malvatico maceretur, tand. sub Solis in libram ingressum destilletur in oleum, arcanum inde acquiritur astrale ad pestem & febres) *carduum sylvestrem, acorum vulgi, symphytum* (cujus sangvinea essentia in herniâ capricorninâ plus-

Herbæ vim Capricorni saturnini sentientes.

qvam

qvàm laudabilis) *taraxacon ſonchos, malvam, herbam anthraceam, aconiti pardalianchis baccas* (quæ virides pulſibus impoſitæ, venenum peſtilentiale ſaturninum omne extrahunt) *napellum* (cui contrariatur anthora) *ſemen hyoſcyami, perſicariam, mezereon ſ. herbam paridem*, (facientem viduas ſaturninas: in extracto item ſaturninæ hydropiſews præſ. ex liene aqveo oriundæ, malum expugnantem) *mandragoræ baccas*, (è quibus egregium ad pellendas vigilias, doloresque arcendos, oleum anodynû deſtillari poteſt) *caulem eupatorij Avic. vel herb Kunigundis* (cujus liquor ſub Sole in ſcorpio deſtillatus valet contra adſumta venena, paralyſin, vermes) *flores galyopſidis* (qui ſub ſolis librâ in vino macerati, ſub ſcorpio in oleum deſtillati vel expreſſi, remedium produnt antepilepticum & anticardiacum: ſuccus eorumd. ubi ſub ſolis cancris deſtilletur, tumorem ventriculi vel ventris, ex veneno hauſto, deprimit) Sed ſat mihi temporis tributum non video, qvo integram *triplicitatis melancholicæ* explere ſeriem liceat: vos qvi ſapientiores eſſe mavultis, quibus de planetarum, ſignorum, herbarum, morborum, regimine, ſubjectione, virtute, adplicatione,

plicatione, qvid constat, juxta cœli ausum & ansam agite, herbas certo fortitudinis cœlestis tempore colligite, præparate, digerite, destillate, in usum tandem medicum revocate: omnia ubi & uti liceat: ita dubiotenus cœli virtus & curæ felicitas, sorores fient, qvarum mater esto Experientia; Tu si cœlum ex tempore observare neqvis, observa in tempore, medicamenta para in tempore, reserva ad tempus, nil absumetur de essentiâ cœlico-chymicâ, qvæ morbos suo curet tempore, qvosdam ex tempore. Nos, propositi memores, discindimus hîc filum, quod reconnectent forsan δεύτεραι φροντίδες, δεύτεραι πράξεις. *utinam*! Progredior ad *Animalia*; è quibus Saturnus regit *asinos* (pigris, stolidis, patientibus, timidis, notam præbenses: tam timidum enim asinus est animal, ut præ timore sæpius mingere cogatur: Galenus ait, asininos fieri, i. e. melancholicos, qui asininâ carne vescantur: fumus ungulæ asini, fœtum enecat: prosunt tamen duo maximè ex asino; lien, spleneticis; fimus in cinerem redactus, dysentericis: hæ Saturni sunt notæ: saturninum item fuit omen, quando *Zopyri* mula, ante expugnatam Babylonem, peperit: cecidit ita

Animalia Saturnina Asinus.

opprobrium Babylonij: *tunc expugnabitur Babylo, cùm mulæ pepererint!* Xerxes idem passus est malum Saturni omen: de
l. 3. & 7. qvo ap. *Herodot.*) præterea *camelos*, *struthiocamelos* (unde horridi signantur homines) *elephantes* (unde desperatorum signatura) *ursos*, (tardi Saturnini gressus) *canes* (à qvibus invidiam & maledicentiam didicêre saturnini: canes qvippe canibus invident cibum, hinc invidis adpinguntur canes senibus, qvi vel omninò cœci, etiam illis, qvi unicum adhuc oculum habent, tanqvam felicibus invident, nempe instar canium, qvi cùm simul avari sint, tanqvam omnia soli [dann es leidet kein Hundt den andern beim knochen] devorare cupientes; simul item saturninos avaros suâ insignient notâ, velut pannosus ille nummus flavus, *Judæos*, (nostri dicunt: Wie die Juden beim gelbē fleckchen) qvibus utrinqve tanqvam gulosis gurgitibus, nunqvam satiabilibus,

Camelus. *Elephas.* *Ursus.* *Canis.*

Fertilior seges est alienis semper in hortis,
Vicinumq; pecus grandius uber habet:)

Regit insuper Saturnus, *lupos*, *basiliscos*, *crocodilos* (à quibus sub commiserationis specie lachrymas edentibus, fucatā misericordiā mendicati & ementiti sunt multi) *bufones* (qvi malitiosos notāt: bufo vene-

Lupus, Basiliscus, Crocodilus. *Bufo.*

nena-

nenatus cùm sit, habet in se aliqvid, quod faciat contra pestis venenũ, id qvod rectâ præparatione indiget: cùm itẽ signaturã gerat hydropicam, habet iterum aliquid, qvod contra hydropem sit, vnd solte es nur auch daß bloße Kröthenpulver sein) *serpentes* (unde venefici Saturnini signari poterũt: serpentes enim & ore & caudâ emittunt venenum, quo homines ad mortem usqve inficiunt: ante annos aliquot serpentium quidam captor, contra venena optimè præmunitus, à coronato tamẽ serpente, qvem capiendi præmii gratiâ toto corpore capturus obruebat, ita infectus fuit, ut totum tumidus à rustico Samaritano, extra sylvam ad vicinum medicum veheretur, cujus ope intra paucas septimanas restitutus fuit: mirari ultrà licet, qvòd serpens ventris integrâ remanente pelle, superius dissectus, herbam qværat, qvâ se restituat, referente Rogerio Baccone: dicuntur & amissam lingvam, qvam fortè magicus qvidam, in oppositione Solis & Lunæ, abstulerit, offensâ urticâ sibi recuperare: tu serpentinam, colubrinam, consolidam, fœniculum puta, ad quas herbas, tanqvam ad sacram anchoram, læsi serpentes naturæ medicatricis ductu confugiunt: mirari magis *Serpens*

licet, funiculum filosum, qvo strangulatus fuerit serpens, in saturninis faucium apostematibus atqve anginâ prodesse! quin & magna ophtalmiæ. tinnitus aurium, pestis cura; priorum in pingvedine; ultimi pestilentialis mali, in *Alcoole serpentum* latet: ita intra lolium est triticum, & inter aculeum mel!) ad Saturnum ultrà spectant & *feles & mures*, nocturni diurniqve fures (signaturam hinc capient non tam trium illi literarum homines, qvàm qvi vicino non accurrunt --- ---- *paries dum proximus ardet!* gaudet istis nebulonibus Saturnus, *secundæ*, divitiarum *domus*, dominus, cum scorpij corde conjunctus, ex *duodecimâ* potiss. vel *sextâ*, oppositus furaci Marti! sed & aliam ob causam saturnini sunt *mures cum felibus: horum* enim cerebrum maniam, morsus, hydrophobicam rabiem, inducunt: caro, hæmorrhoidas; jecur, qvartanam & podagram, pellunt: urina, à peste præservat: fimus, pilos producit: *illorum* autem stercus, abortum [juxta *Hipp.*] facit: fimus, venerem frangit: caro absqve deglutitione, mansa, odontalgiam sistit: dentium pulvis, ex analogiâ, dentes vacillantes stabilit: cum mures non tam durissima

Videantur præparationes ap. Chymicos.

Felis & Mus.

qvæqve

qvæqve corrodere tentent: ſed & in *Inſulis Paro, Gyar, Cypro*, ferrum & aurum corroſerint) cor vivum mulieris brachio adpenſum, ad conceptionem ineptam reddit: cor comeſtum, melancholico [juxta *Mercat.*] prodeſt: ſed oporteret hîc bellum cum moribus facere, ut occiderentur: murium alpinorum pingvedo, ventri inuncta, anticolicalis eſt; caro eorumd. antiphrenetica; cerebrum, anodynum; jecur, antiqvartanarium! Saturnini omnes, in ſaturninis malis, effectus! quin & ipſe Saturnus infernalis ſe felibus muribusqve immiſcere ſolet: horrendas felium voces noctu qvando audis, ipſum quandoqve [horrendū dictu!] audis diabolum: qui forſan & ſub murium ſpecie in mediâ Rheni turri devoravit Hattonem Epiſcopum! tantâ murium vindictâ & Poloniæ rex Pompilius cum domeſticâ ſtirpe ad patruorum ſepulcra periit! ita Saturnus â ſaturnino animali, in ſaturnino loco, infeſtatus ac punitus!) ſubſunt tandem Saturno & *porci* (ſpurcis ac immundis notam præbentes: caro horum utut melancholica, junior tamen in tantum non nocet: alvus potius ſolvitur, ſi porcellorum caro cum braſſicâ conditâ edatur. Saturninum etiam

Porcus.

Platerus cētur. poſth. commēdat braſsicā cō-ditam cum carne porcinâ.

patiuntur malum ſues ſplenis obſtructio-nibus laborantes, hinc toties anhelant: ſub tamariſco ſupra hujus facta mentio) *lepores* (quorum caro melancholiam quidem augere dicitur, boni tamen eſt ſaporis: hinc cathedralem etiam deciſionem fecit, qvi teutonicè dixit: mann ſagt/ die haaßen machen melanchoiſch/ hetten wir deren nur viel! lepores, timidis quoq; præbent ſignaturam, dum & hominum & brutorum fugiunt freqventias: hinc ad timidum dicimus; Ey du forchſamer Haaſe! Timiditatem leporis malus quidam latinus, [ein Unlateiner] mirabili hoc qvondam demonſtravit argumento licèt non apodictico, quo audito, *riſum teneatis amici:*

Lepus.

Ridiculus leporis de lepore ſyllogiſmus.

Omnis animal, habēs cornocula, eſt timax:
Atqvi lepum habet cornocula; E.
Lepum eſt timax!

qvid reſpondebitis experimentatori, qvi corneos oculos, timiditatis indices expertus eſt! Signaturæ raro præ cæteris animalibus exemplo & experimento, leporinorum pedum plantæ piloſæ ſunt, unde ex lepore habetote alopeciæ curā: ineſt alioqvin & leporinis pilis [albis præſ. ad ventrem] vis adſtrictiva, hinc remedium anti-hæmorrhagiale: & anti-dyſen-

Leporis *natura & uſus videantur in Lagographiâ Profeſſoris* Norici.

dysentericum: lien, ut ut melancholicus sit, similitudinis tamen ratione prodest splenicis. Saturninum qvoque Scythis contra Darium pugnantibus, & Xerxi Græciam oppugnanti, lepus præbuit omen; ibi, saltu in pugnam; hîc, partu ab eqva: hinc proverb. *eqva enititur leporem*: inde & hod. portentosus per consuetudinem vulgo factus est lepus, in medium viæ prosiliens: sed, de leporinis ejusmodi prodigiis referenti, respondere liceat:

Qvi terret lepores ipse qvidem lepus est!

Erynacei (è qvibus ad melancholicorum pharmaciam ac diætam qvid depromi poterit: utilis caro potiss. suadetur melãcholicis, sicut & cinis odontalgicis: huc ob similitudinem refero *porcos* illos *erynaceos*, vulgò Stachelschwein/cum longissimis acutissimisque pennis, in odontalgiâ saturninâ [nuhr die zähne darmitt gestochert] noviter commendatis) item *talpæ* (cœcæ saturninis latéres in latebris, hinc cœci cum iis, qui obscuras inhabitãt casas, signaturam capient: saturnina est superstitio; febre non corripiendum, cui talpa in manu mortua fuerit: saturninũ, ex talparum, in pratis vel domibus etiam, egestis colliculis, de futurâ vel peste, vel morte domestici, præsagium: saturnina *Erynaceus.* *Talpa.*

cum talparum dentibus , & dentitionis promotio, & ὀδονταλγίας exſtirpatio: ſaturnina antiqvorum ulcerum cum talpino ſangvine curatio!) Saturnini demum ſunt *glires* (ſomnolentis, diuque absque cibo ac potu [de his peculiari in tractatu videatur Fortun. Licettus] degentibus, ſignaturam oſtendentes: glires enim hyemis tempus ſomno perdunt: unde gliris nomine loqvitur Poëta:

Glis.

Tota mihi dormitur hyems, ac pingvior illo
Tempore ſum , qvo me nil niſi ſomnus alit!

Animalis hujus ſomnolentia etiam nota pueris, è ſomno ſibi obclamantibus : du ſchläffſt wie ein Ratz: dicuntur qvippe glires tanto ſepulti ſomno, ut etiam diſſecti, non diſſiliant aut moveantur, niſi coctionis ignem experti! Phlegmaticis hæc ſimul eſto ſignatura, qui profundo ſolent obrui ſomno; multò magis lethargicis: qvid ſi ex gliribus analogicum his peteretur remedium?) Ex *avibus*; Saturnus tenet *ſtruthiones, grues, pavones* (qvalibus longioris colli avibus , Saturno olim & Junoni fiebant ſacra!) *turdos* (ob ſignaturam αὐτοχειρίας, damnique ſibi ipſis illati; dicitur enim ex eorũ ſtercore naſci viſcus,

Aves ſaturninæ.
Struthio, grus, pavo.
Turdus.

viſcus, à cujus baccis poſtmodum devoratis moriantur: ſed & eo ipſo , hoc ſibi creant malum, qvòd viſco capiantur: unde in proverb. turdus ſibi ipſi cacat malum!) *cuculos* (ingratitudinis ſaturninæ ſignum: cùm propria ſua ova vel devorét vel deſerant, qvæ deinceps tamqvam aliena pro propriis fovent & excludunt currucæ, vulgò die Graßmucken: unde ſignabuntur forſan illi, qvi alienos liberos pro propriis alunt: ut vel hinc meritò adloqvi poſſimus cuculum: tu, ô miſerrime cucule, gaudes & tibi places, qvòd uxorem conſeqvutus ſis, qvæ tanto tui amore teneatur: &, per apoſtrophen, maritum: tu, ô miſerrime vir , qvando vides uxorem tuam ita plorantem, credis, qvòd tui amore id faciat, & ex zelotypiâ, q. ſc. putet, te, inſtar, ova relinqventis, cuculi, alteri cuipiam adhærere! Saturnus eſt, qvi tantam ingratitudinem & ſimulationem partim in fronte partim in tergo oſtendit:) *corvos* (ob ſignaturam nigritiei, avaritiæ, auſteritatis : ſaturninum item ex corvis omen, ſi adverſum crocitent hinc corvorum crocitatus Ciceroni morituro portentoſus fuit aſtorgia qvoque corvos ad Saturnum relegat , unde miraculum eſto, Eliam à corvo accepiſſe cibum: ſed

Cuculus.

Corvus.

& saturninos in medicina effectus hîc observare liceat: corvorum enim caro, melancholicis prodest; cinis, in leprâ malignisque ulceribus utilis; cerebrum, crines nigro colore tingit; fimus, dentium dolores auffert!) *Origides* s. orchides aves (plenam invidiæ signaturam pluri- mis tribuentes) *upupas* (veræ spurcitiei saturninæ notas: non enim tantùm nigris illæ aves maculis abundantes, in desertis nemorum locis degũt, sed & nidos suos fætidissimo stercore [humano] obducunt: sed vel propterea saturninas dicere posses upupas, cùm cor intra se alant, id qvod bipartitum si ambo conjugati devorent, perpetuo inposterum saturnino odio se odisse perhibentur: præsens melancholicis ac maniacis fœtidæ hæ aves subgerunt remedium: lapis in upuparum nidis repertus, ad saturnina phantasmata laudatur: pẽnæ sunt anodynę, hinc cephalalgiæ conferunt: sangvis, saturninam accumulat melancholiam: antipathiam hîc observa in uvis, qvæ lædunt upupas: rationem qvęre in antipathiâ Solis ac Saturni!) *muscas* (ob impudentiæ signaturam: hæ enim vel summo Monarchæ, cibum jam jam ingesturo, nares vel palatum ipsum stercore suo conspurcare non

Orchis. *Vpupa.* *Musca.*

non erubescunt, ac vel millies flagellis abactæ, brevibus nihilominus readvolāt alis: hinc homines impudentes qvidnî dicamus muscas? dicuntur & muscæ pingviores [schmeysfliegen] saturninam incomtam comere barbam: non inutile est proverbium Teutonum: es irret jhn die fliege an der wandt: *est mirabilis caput*: Diabolus ipse muscarum formâ vexare solet obsessos, hinc *Beelzebub* muscarum dominus [der Mucken König] causa hæc si non esset alia esset, ex perturbatione cerebri: [dann die fliegen gehen einem den Kopff!] muscarum tandem saturninam naturam ex eo disce; æstatis tempore sub muscarum murmure varios variarū lingvarum aperi libros, inter qvos qvi hebræi erunt, conspurcabuntur citius a muscis, placent enim ipsis pūcta [können bald auß dem *zere* ein *sæggol*, oder auß dem *hirec* ein *scheva* machen] qvæ res non caret ratione hieroglyphicâ!) *Bubones* (ingratæ vocis signaturam emittentes: hinc mortis & inferni signacula, ob ruinas atque cavernas, bubonum habitacula: qvare *Bubo.*

------luctifer bubo gemit

omenque triste resonat infaustæ Strigis!

sed & ad veneficia hinc datur ansa: unde Medea ap. Senecam

Morti-

Mortifera carpit gramina, ac serpentum
Saniem exprimit, miscetq; obscœnas aves
Mœstíque cor bubonis-----

desponsatis qvandoque *ignavus bubo dirum omen!* ô saturninum bubonem! ô bubones, ihr bösen Buben! ajebat ille:) *noctuas* ac *vespertiliones* (à qvibus notantur astuti, nullo candore picti, noctambulones, lucifugi; die nachtrappen/nacht eulen vnnd heimtuckische meuchcler/ obque id vitium omnibus infensi: noctuæ enim lucem fugiunt, quasi non merentes adspectum cæterarum avium, quibus infensæ sunt adeò, ut vel discerpantur, si de die in avium gregem incidát) *cicadas* (ob otiosam vitam) *gallos gallinaceos* (à quibus tanqvam pro fæminis gallinis pugnantibus, pullosque extinctâ matre incubatrice, porrò excludētibus, discant zelotypi, super rem uxoriam excubias agere: tales excubatores qvi sunt, cum gallo ad saturninorum cōsortium in Saturni palatium veniunt, gallitrychi coronâ digni: obiter existimo, vocem *Hanreitatis*, [Hanerey] hinc ortum traxisse) *ex piscibus*; saturninæ maximè sunt *angvillæ*; (hæ idem cum noctuis ferunt infortunium, ut gregi suo infensæ, solæ in luto, ceu noctuæ in umbrâ, degere cogantur) nec, proprio nempe foe-

Noctua. Vespertilio.

Cicada.
Gallus.

Pisces saturnini.
Angvilla.

pe fœtui invidentes, *caniculæ* ac *musipillæ*, hinc exulare debent; (unde signabuntur illi, qui prorsus nullã vel saltem exiguam progenitæ suæ familię curam suscipiunt:) huc ob pigritiem motusque tarditatem pertinent *testudines, cum conchyliis*: (unde duplex *signatura*, *fabricaturæ* & *herniæ* saturninæ, cui, ob extensionis & contractionis signum, specificum obfert remedium testudinis calcinatus pulvis: sed & *antifebrile* ex analogiâ *magisterium* ex frigidis cochlearum longarum testis, beneficio spiritus aceti, summo cum fructu, confici potest: *febres* a. Saturno ex parte, *ob horrorem*, subjacẽt:) *è lapidibus*; in præsentem copiam adducendi sunt; *lapis lazuli* (cujus tinctura chymica per spiritũ urinæ, mixtim potiss. cum spir. aceti facta, ob analogiam saturninam, melancholicis saturninis mirè confert:) aliâs & purgandi facultas in hoc lapide latens, ad Saturnum spectare debet, cùm auxilium inde morbis feratur melancholicis: tutò siquidem, contra Galenum ac Dioscoridem, lapidis hujus præparati drachmã unam, in prædictis Saturni malis omnibus, exhibuit Brassavolus: qvo fine pilulæ lazulinæ cum succo convenienti, additis tamen, corrigentium loco, zingib. mastich.

Canicula, musipilla.

Cochlea.

Lapides saturnini.

Lapis lazuli.

Consulatur Boëth. 2. lap. & gẽm. 139. seqq.

maſtich. aniſ. cinam. camphorâ, non ſine laude, confici qveunt.) *Calcedonius* (è qvo non tam *Romanorum vaſa myrrhina*, qvàm 2000. Mithridatis pocula, olim cõfecta fuiſſe, conijci poteſt: ſaturnina fraus committitur in adulterato calcedonio, ſi criſtallo fuſo, per unius diei ignem committatur calx argentea: uſus item ſaturninus eſt, in fugandis Dæmonibus, timoribus, ſymptomatibus ex atrâ bile, aliis! ex Indiâ qui lacteis zonis diſtinctus adfertur, amuleti loco geſtatus, ex analogiâ lac augere dicitur) *Camoinus* (Gemmariorum *Camehujah*: è qvo integrum conſtructum vas pretioſiſſimum, non ita dudum *Venetiis in theſauro S. Marci* monſtratum vidi: ſaturnina hujus eſt facies, pretioſiſſima tamen: nec enim vilia omnia putes, qvæ Saturni ſunt: *præparatio* ſi fiat cum *corneolis*, medicina habetur contra phantaſmata maniaca ac melancholica, qvę merè ſaturnina ſunt: globulus, ſub palpebris hinc inde circumvolutus, oculorum ap parentes nigras maculas, ſorditiemq́ue aliam, eluit: amuletum, paroxyſmis epilepticis prævenit: cucurbitula hinc artificiosè exſculptâ, imo ventri adfixâ, abigitur dolor Iliacus ac colicus pulvis præparatus contra calculum eſt. uſu ſaturnino in

Calcedonius.

Camoinus.

no in saturninis malis) *Onychinus* (è qvo factum amuletum contra tristitiam melancholicam valet: pocula hinc caro precio facta, ejusdem sunt virtutis. *Antiqvorum Onyx* fuit Sardonyx & calcedonius: hinc *Romæ* aut alibi pro onychinis antiqvitatibus ostensa, ex sardonyche & calcedonio putes: talia Romanorum & Mithridatis pocula sunt myrrhina: onychinæ dicuntur sex columnulæ, qvas *Basilica S. Petri Romæ* tenet: onychina item duorum juvenum capita & serpens, ad *III. Reges Coloniæ*: saturnina *Judæorum* cum onyche est superstitio, ex cultu, qvem uni è 12. Aaronis gemmis tribuunt.) *Jaspis* (cui mirabilis inest vis ad sistendas *hæmorrhagias*: sistendi a. facultas ad Saturnum stipticum pertinet: hoc scopo non tam locis affectis admoveri, qvàm drachmæ etiam unius pōdere exhiberi solet ægris: alius ejusd. lapidis usus est in venenis, [hinc scorpii sub certâ constellatione insculpti] epilepsiâ, calculo, cogitationibus melancholicis, quæ iterum Saturni sunt!) *magnes*, (qui ceu ferrum occultè trahit, ita & meritò cœlum habemus pro magnete, in qvo tanta vis abscondita sit: similitudinem hinc sumsit *Cura Magnetica*, qvâ occulti occultè q. curantur morbi: po-

Onyx.

Iaspis.

Vidd. tria exempla ap. Boeth. l. 2. p. 127. 128.

bi: poteſt & magnes ſub certo cœli ſaturnini poſitu ita præparari, ut ſummam acqvirat vim extrahendi [in emplaſtris magneticis] venena, fugandi peſtem, alia è corpore exturbandi: atque mirandum, magnetem alium vel inveniri vel præparari poſſe, ut verſus ortum, alium, ut verſus occaſum vergat, quod non fit ſine certo influxu: mirandum & hoc; allij ſucco inunctum magnetem, non trahere ferrū; quod ex occultâ fit antipathiâ!) *inter metalla*; Saturnus noſter, Dominus eſt ſervi ſui *plumbi*, qvod ap. chymicos nomine heri audit: ex hoc ſub certâ Saturni fortitudine non contemnenda chymiæ beneficio medicamenta antiſaturnina & antimelancholica parari poterunt: inſpiciatur vel ſolus ſachari mineralis ſaturnini uſus, ad ſumtum venenum mercuriale corroſivum, ad inflammationes varias, ad rubras faciei puſtulas [Kupfferhandel] ad tumores, putredinem oris, ulcera varia maligna, ſcabiem elephantiacam, ad affectus ſaturnino-ſplenicos, qvartanā melanch. hypoch. colicam, gonorrhæam, immò ad epilepſiam ipſam, furorem uterinum, inſultúsque veneris alios: ineſt ſiqvidem ſaturnino huic medicaméto peculiaris vis figendi domandique luxuriā-

Metallum ſaturninū. Plumbum.

tes

tes ac q. parturientes ſpiritus: figere autẽ
Saturni noſtri eſt. hinc Alchymiſtæ, cor-
pora fixiora reddituri, Saturnum ſub Sa-
turno ad operas trahunto: aurum item ad
potabilitatem relaturi, Saturni ſpiritum
uſurpanto. bona hæc ſunt, quæ contra
mala, facit Saturnus megacosmicus: ma-
lum nihilominus & hoc ſaturninum eſt,
qvod plumbi fumus, plumbumque uſtũ,
cor ſuffocent, ob inſitum Saturni venenũ:
Plinii iſte Proculeius, dolore ſtomachi
vexatus uſto plumbo ſe interfecit: mania
ac melancholia, ex plumbi vapore, intro-
ducta mala ſaturnina ſunt: debentur & u-
rinæ nigræ, poſt gypſi & ceruſsæ aſſum-
tionem excretæ, ob colorem, Saturno. E'
mineralibus, Saturno tandem adſcribo *vi-* *Minerale*
triolum (cum qvo antipathiam alit *nitrũ* *ſaturninũ*
martiale: [Mars enim & Saturnus ſibi cõ- *Vitriolum.*
trariantur:] hinc ſpiritus eorumd. bini
ἀντιπαθεῖς, qvare unitos hos, in febribus *Cautela* 1.
alibive, exhibeat nemo, niſi qvi magnis
noviter delectetur inflammationibus,
ſymptomatibusque aliis horrendis inde
introductis, qvorum ſignaturam videto
in externâ ſpirituũ vitrioli ac nitri affu-
ſione: aliâs ſaturnina etiam natura apertè 2.
viſitur in adſtrictione vitriolicâ atramẽ-
toſâ [hinc & atramentum ex vitriolo fit,

qvod iterum Saturni est] unde expectorantibus atque asthmaticis, qvocunque etiam modo præparatum, vix concessum qvidam volunt, vitriolum: licèt ex marte, beneficio olei sulphuris, extractum, thoracis etiam affectibus in tantum non obsit: ex dictâ vi adstringente saturninâ, nec hàc tantùm, sed & specificâ, *vitrioli* potiss. *Veneris*, vel Martis, *spiritus*, est stomachicus adstringentia siqvidem cum levi incisione, [qualia sunt *acida*] *ventriculo grata* sunt, oportet tamen naturam adesse & inesse peculiarem, qvę partem respiciat: adstrictione hâc ventriculum gaudere, adeò nôrunt qvidam, ut & melancholiam per vas breve à liene ad os ventriculi missam, appetitum ciere dixerint: rectè dixerunt eqvidem, melancholiam adstringere: sed appetitum *secundùm naturam* ciere, minus rectè: nec recto principio, lienē per vas breve, raro item repertum, mittere naturali ventriculo melancholiam, qvam multoties non habet! sed hæc forsan extra oleam: adpendo *Saturno coronidem*, cum *vitriolicis*, ad saturninos affectus varios, remediis efficacissimis; qvibus refertos videas chymistarum libros: atque hi sunt simplices illi, ut sic dicam, subditi, saturnino imperio subje-

Vid. not. lum. chym. p. 317.

Specificum stomachicū.

Consulātur præ cæteris Anatō. Vitriol. Salæ, & Minder. de chalc. dis

ſubjecti, analogicam aſtrali vel magneticæ ſic dictæ curæ materiam pro tributo annuo obferentes. Periti nunc ſit aſtrophiliatri officium, omnia iſta, certo poſitu, tempore, modo, loco, tributa colligere, qvorum ſpecialiſſimam ſubjicere regulam, temporis præſentis anguſtia non patitur. Duo ſaltem addam: alterum, chiromanticum eſt; tributum nempe Saturno & in chiromantiâ ſuum eſſe montem, ex qvo, ſubter medium ſc. digitum ſito, multa de morbis Saturni, aliisque conjicere qveunt chiromantici: nec liceat hoc contemnere, cùm etiam ex manuum lineis cõjicere liceat, quod homini in Medicinâ proſit. Ita chiromantiæ beneficio habemus: colicæ obnoxium eſſe, qui lineam architectam in manu habeat, cui ſimilis, ubi in herbis reperiatur, medicinã inde fieri anticolicalem: ſimili modo & apoplexiæ obnoxium fieri, cui linea Anchora ſit in manu, hinc acorũ, ob lineam ſuam anchoram, præbere medicamẽtum antapoplecticum! Alterum magicum eſt, bene ſumto magiæ (non diabolicæ, ſed) naturalis vocabulo: varia nempe *ſigilla ſaturnina* (licèt non ſemper absque ſaturninâ ſuperſtitione) antiquitus exſtructa fuiſſe, in certis lapidibus ſaturninis; ma-

quiſit. pro qvâ, contra Romanos qvosdã, nuper apologiã ſcripſit Verbezius.

Mõs Saturni chiromãticus.

Croll.

Sigillũ Saturni.

gnete sc. Saphyro & Jaspide (quod artificium in Mercurio, cum plumbo fixato hod. fieri posset) cum certis quoque imaginibus Saturno dicatis, prolongandæ vitæ, morborumque saturninorum profligandorum gratiâ: talium sigillorum aliqua adhuc hodie in usu sunt, certo fortitudinis Saturni tempore & sculpta & fusa, non sine admirando in medicinâ usu: modum docet Theophrastus: novi eod. ferè ex fundamento non ita dudum ab illustri qvadam personâ, sub magnâ sc. istâ planetarum superiorum combinatione, ex omnibus ferè metallis (mirum visu!) fusum fuisse *Electron*: (quod, dictu mirum, alio tempore fundi non poterat; ratione non mirum, quia Planetæ metallorum domini non amplius combinabantur in cœlo:) in hoc sanè admirandas mirari, non omninò rimari licet virtutes, quas omnes etiam (absque invidâ lingvâ dixero) *Qualitatistæ*, cum omnibus suis qualitatibus expiscari non poterunt: hem egregiam rationem, quam non ubique ratiocinari, sed admirari saltem oporteat! ô bellam, ô lassam rationem; cui tam pulcrum hic paratum quietis domicilium, ignorantiæ asylum! Sed heus *Alchymista*, transmutationem Saturni qvi tentabis,

Vid. Theophr. 7. archidox. mag. p. (mihi) 571.

Electron.

Trâsmutatio Saturni astralis.

cernas

cernas, ut certo cœli qvoque tempore tentes: ex Saturno qvi cupis *Solem*; transmutare, (Saturno tamen ſemper forti in cœlo existente:) incipe, ſub Lunâ in leone, horâ qvoqve Solis; qvi ex eodem transmutatã *Lunam* deſideras, transmuta ſub Lunâ in cancris, horâ item Lunæ: qvi *Martem*; ſub Lunæ ſcorpio, horâ Martis: qvi *Venerem*; ſub tauro, horâ Veneris: *Jovem*, ſub ſagittario vel piſcibus, horâ Jovis: *Mercurium*; ſub Lunæ Virgine, horâ item Mercurij: ita ubi egeris, non pigebit, credito, obſervâſſe tale cœlum! Sed & heus *Chronologe*, Saturnum dominantem in *Regionibus*; *Albaniâ, Arrianâ, Bosniâ, Bulgariâ, Gedroſiâ, Græciâ*, Haſſiâ, *Illyride, Indiâ, Litvaniâ, Macedoniâ*, Marchiâ ſtiriæ, *Maßoviâ, Moreâ, Orchadibus Inſulis, Romandiolâ*, Saxoniâ *Thraciâ*, Thuringiâ: heus eidem ſubjectas *Urbes*; Auguſtam vindelicorum, Bergam, Brandeburgum, *Clevoniam*, Conſtantiam, *Dethonam, Faventiam, Gandavũ, Juliacum, Mechliniam, Oxoniam, Pratum, Tortonam*, Ulmam: heus iterum Saturnum ob *aqvarium*, dominantem in *Regionibus*; *Amazoniâ, Arabiâ deſertâ, Azaniâ*, Bavariæ parte, (hinc & *Bavari Porci* Saturni ſunt) *Daniâ, Moßellanâ Oxianâ, Pedemontio, Rußiâ rubeâ, Sarmatiâ, Sveciæ*

Saturni regiones & urbes.

meridionali parte, Tartariâ magnâ, Walachiâ, Westphaliâ: heus itid. eid. ex Aqvario subjectas *Urbes; Bremam, Forum Sempronium,* Hamburgum, Ingolstadium, *Montem-ferratum, Pisaurum, Salis-burgũ, Tridentum!* Sed sat dixi de *Saturno*: qvo post vocem abscondito, & cœteros in Theatrũ *Planetas* producere liceat. *Adeste iterum!*

INTRODUCTIO
JOVIS.

II. JUPITER eiusque

PRoximus à Saturno statim adparet *JUPITER* benignus ille pater, antecessori suo, in omnibus ponè contrarius: ille in motû tardior erat, hic velocior; qvippe qui duodecim annorum spatio Zodiaci periodum peragrat: ille in qvalitatibus frigidus & siccus erat; hic calidus & humidus: ille inter complexiones melancholicam; inter humores, melancholicum tenebat; hic & temperiem sangvineam, calidam ac humidam, & tẽperatè calidum humidumq; sangvinem sub se complectitur: quare & actiones Jovialium, saturninis contrariæ, hinc emergunt:

Motus.

Natura.

Temperamentum.

mergunt: licèt ex benigno Saturni cum Jove adſpectu, qvædam temperari, ſibiq; ſimiles q. reddi queant : quâ in re opus erit trutinâ noſtrâ aſtrologicâ, in cujus uno delabro Joviali, jam deprimuntur, majoris quippe ponderis; liberalitas, fidelitas, magnanimitas, beneficentia, benevolentia, prudentia: in altero, levioris qvippe ponderis, elevantur; prodigalitas, infidelitas, nimia humilitas, maledicentia, maleficentia, imprudentia! hæc nempe à Jove vel felici vel infelici proficiſcuntur: hæc illorum trutina eſt quâ, ad boni vel mali, ex plurium combinatione collecti, præpondium qui non utitur, neceſſe eſt in judicio & fallere & falli! trutinâ hâc minus dextrè uſus videtur Haly, in ſuo aſtrorum judicio, dum die creationis mundi, Jovem in aſcendente fuiſſe ſcribit: qvaſi verò noſtra rationis trutina, divinam ponderare poſſit prudentiam, quam nec Jupiter nec alius, vel Deus, vel homo ſemi-Deus ſibi videatur, dirigere, nedum ſcrutari aut perſcrutari poterit: nec enim ipſi Angeli id poſſunt, penetralia Dei ſcire cupientes, nec tamen ſcientes: eſt qvippe Creator ille ſummus, ipſa exactiſſima ſibi Scientia, ipſa ſibi Sapientia, ipſa Intelligentia, ipſa Prudentia, cui

Actiones.

Reprehēſio.

confirmandæ non opus sit auxilio cujusdam Jovis! Sed hæc ultra nostrum sunt captum, qui quoties divina etiam adprehendere cogitat, toties glabra q. manu angvillam, immò, vel rugosâ, candẽs ferrum tenet! Redeamus igitur ad id quod capimus: verum est, latere sub Jove sapiẽtiam, sed non quæ Deum (absit hæc impietas!) sed homines (astrologico utor loquendi modo) reddat sapientes, licèt hujus sapiẽtiæ summus director sit Deus, per astra quandoque, tanquam per causas secundas, agens in homines, unde cùm causæ secundæ subjaceant & subordinétur primis, etiam prima illa causa, Deus, cum secundis astris agere poterit, ut voluerit: hinc, ubi Deus voluit, Sol stetit, nec motus fuit, non radios sparsit, sed eclypsatus est: idem de Luna factum! quin & cœlum ipsum longo tempore non dedit pluvias, nec alia, quæ dare naturaliter debuit! Miraculosa hæc sunt: immò posset Deus mundum absque ullis astris regere! Sed manemus nos inter naturalia, nec ad Theologica redimus, quæ nos hâc vice non decent: unde ignoscant illi dicenti, Jovem dare sapientiam, Mercurium sciẽtiam, alios alia! Astrologica hæc sunt, suis experientiæ fulcris innixa: immò si astrologica

Santus de astris judicium.

Protestatio.

logica

logica non erunt (nec enim quiſquã credat, me tã ſtultum fore, qui aſtris omnia in omnibus credere velim; niſi crediturus ſim forſan in iis, quæ Medicinam noſtram ſpectent: quâ proteſtatione incidẽter me hic excuſatum cupio: ſed quæres: cur ergò hominum actiones non omittam? dico, me ideò non omittere, quia ingenium exerceam, quod circa hoc tẽpus ex itinere & Vulcano laſſum requirat, quod recreet, recreans a. ſibi elegerit repetitum præſens hoc Aſtrologico-Medicum Studium!) ſi inquam, quæ heic dixi, quæ dicam, Aſtrologica non erunt, ſunto Hieroglyphica, Poëtica, vel alia, uticunque nominare volueris, nec enim multum referre, quomodo rem adpellare; ſed quomodo re uti velis aut poſſis, hoc referre puto: ſaltem meo in Medicinæ uſu ſatisfiat genio, in Jove nunc occupato! Jovem hunc anteà dixi ſapientibus (ſub quibus omnes intelligo, quotquot judicio uti nôrunt) præeſſe: quidni E. tales, ſapientes, prudentes, ſolertes, judicioſi, conſilijque capaces qui ſunt, Joviales dicantur (unde dicimus: Er iſt ein rechter Jovialiſcher Vogel, i. e. verſchmitzt, vel, quod noſtri per jocum dicere ſolẽt: Er iſt Schweitzerhanßen hinder

Homines joviales.

der Taschen gewest.) hinc sub Jove , sed majori cum authoritate , absque scilicet proverbio, sunt: magnates, prælati, pontifices, sacerdotes, ecclesiastici, consiliarij, secretarij, senatores, decretis suis, *decretum in senatu Jovis*, i. e majori, im grössern Rhat, [qvem morem, ex antiqvitatis forsan usu, alicubi locorum observatum vidi] subscribentes: (hinc & Jovis effigies, cum coronâ & sceptro, adstantibus ad latus Leonibus, tanqvam Justitiæ custodibus, in potiorum civitatum curiis depicta, visitur: hinc & Jupiter alibi Judex, cum vespertilione ante oculos, depingitur, ut cœcus q. de re apertâ judiciũ Joviale ferat: bono ænigmate!) Joviales porrò sunt advocati, fiscales, alij, liberalia Jovis exercitia exercentes, indeque joviali honore fruentes: hinc & Jupiter regit bifrontes illos Janos, cautos, providos, circumspectos homines

Iovis effigies.

Iuven.

----à tergo quos nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec lingvæ quantum sitiat canis Apula--

quasi dicas: qui irrisoribus aures non lubenter accommodant, ne, si subitò respexerint, aut ciconiarum deprehenderint post se colla curvari, aut manu aures agitari

tari asini (den Gecken stechen oder bohren) aut æstuantem canes protendere lingvã! atque ita agere, circumspecti est hominis jovialis, qvem cùm egregiè ornet liberalitas, fieri vix potest, quin Jupiter juxta circumspectum simulalat & liberalem;

-----cui recto vivere talo — Ex juven.
Ars dedit, & veri speciem dignoscere callet,
Ne qvà subæratum mendoso tinniat auro:
Quæq; seqvenda forent, & quæ vitanda vicißim;
Illa prius cretâ, mox hæc carbone notavit:
Est modicus voti, presso lare, dulcis amicis:
Jam nunc adstringit, jam nunc granaria laxat,
Inque luto fixum poterit transcendere nummum,
Nec gluto sorbere salivam Mercurialem!

Atque ita agere, & liberalis & circumspecti est hominis sub Jove sati! MEDICA nunc qvod spectat; bona ex Jove, Medico, signa præbentur in vitâ, formâ, nutritione; quorum omnium Jupiter præsidium tenet cum Sole, Lunâ, Venere! his si fortuna ex *horoscopo*, vel *medio cœli*, vel *octavâ* etiam, bene faveat, bona de formositate & longævitate licet colligere vota: optima *Jovis statura* est procera, qvæ joviales — *Vita, forma, nutritio.* — *Statura.*

jovialesillos proceres decet: nam,

Est verè Procerum, procerum corpus habere;

cum mediocribus capillis; est candida Jovis facies, cum crispiori barbâ, qvæ Jovi peculiaris est, juxta antiqvum:

------sub Jove barbam!

vix tamen & ipsi Jovi, heîc licet esse tam bono, qvin malè constitutus in sextâ, octavâ, primâ, duodecimâ, in malis signis, malis malorum radiis, morbos etiam sibi consimiles, ex sangvinis humorumque corruptione, ex spirituum alteratione, ex flatibus oriundos, progignat: apoplexiá, in specie, convulsionem, dolores capitis omnes ex plenitudine, oris fœtorem, columellæ inflammationes, anginá, asthma, singultum, peripneumoniam, pleuritidem (Jovi præs. peculiarem) intemperiem epatis calidam, febres synochas non putres, tumores oedematosos, vitia item & coxis & talis; domibus jovialibus, sagittario ac piscibus, subjectis; inferat: quorum cura reddetur eò felicior, si, ubi liceat, sub felicibus Jovis radijs, felix auspicium sumat. Partes a. in nobis Jupiter ille sibi subjectas tenet: *epar*, [corporis nostri *Jovem*] sangvificationis instrumétum, licèt non primarium; (primariatus qvippe

Morbi joviales.

Partes corporis.

qvippe cor decet) unde & Jupiter astralis sangvinis præses dici meretur: pulmones item, cerebrum [hinc *Jovis cerebrũ!*] costas, brachia, mãmillas, [hinc *Jovis lac!*] venas & arterias, earumq; sangvinem & pulsum, semen è sangvine generatum, tãqvam communem propagationis nostræ materiam; intestina, ventrem quoque & umbilicum: hinc in Jovis Ammonij tẽplo umbilici figuram antiqvitus traditam suspicor ' è facultatibus ipsi competunt, digestiva & concoctrix, unde coctionis pater est Jupiter (hinc à purgantibus abstinendum, sub fortissimâ Jovis & Lunæ constitutione, propter fortem purgantis factam adsimilationem) è saporibus, Jupiter vult dulcẽ: è coloribus, cœruleum, liceat tibi jungere subalbidum vel candidum, instar istius, qui colorat stannum: qvoad medicamenta; parari & ista sub Jovis fortitudine poterunt, quibus inservient jovialia *ex vegetabilibus* desumta, qualia sunt: *barba Jovis* (antiquissimè sic dicta, similitudine à Jovis barbâ) *pœonia* (cujus capita s. flores conclusi, die knospen oder knöpffe, cùm caput nostrum, ejusque suturas, cranium, venulas, repræsentent, semina quoque matura, fulminis instar exsiliant, via inde facta curæ ad epilepsiã, jovialem

Facultas. *Sapor.* *Color.* *Vegetabilia jovialia.*

Jovialem morbum; eod. q. fulmine & ad solis radios exilit ſemen lini ex ſuo capite, Wann man die Knotten kienget: *bugloſſa* porrò, *hepatica*, *Jecoraria* (ubi emicat ſignatura Jecoris: unde, quæ aliâs hepatica dicuntur Medicis, ad Jovem, tanquam cœleſtem epatis gubernatorem referre cui liceat!) *hedera*, (conſtantiæ Jovialis ſignum præbens, non tam muros antiqvos, quàm emortuas quoque arbores firmiter amplectendo: idem faciunt *convolvulus*, ſpecificus in ileo, & *cuſcuta*, herba ſplenetica, manu quaſi in altũ nitẽtes!) *Jovi præterea* debentur, *mentha*, *viola*, *ocymum*, *ſpica*, *macis*, *liquiritia*, *qvercus & betula*, *cum fungis ſuis* (figuram epatis ſangvificantis referentibus, unde in ſangvine ſiſtendo ſunt ſpecifici: ejusmodi fungorũ genus [qvod noſtri pfawenſiſt dicerẽt:] copioſè creſcit in vineis *Wittebergenſibus*, quibus item chirurgi freqventer utuntur in arcendo vulnerum ſanguine, In den Blutſtillungen) Joviales porrò ſunt *vitis & cucurbita*, (quæ inſtar ſtaturarum Jovis, vi quaſi in altum lingulis ſuis nituntur:) *ficus alba* (Jovi dicata arbos) *fagus*, *fraxinus*, *pirus*, (cujus fructus, pira, cum epate, cui etiam conferunt, ſimilitudinem quandam obtinent) *pomus*,

ſorbus

ſorbus, corylus, oliva (hanc meritò cum vite conjungere debuiſſem, cùm tam miro, qvàm jucundo, ſpectaculo, in vinetis Italicis alibique inter ſe invicem creſcunt: qvo viſo, læto pectore dixi: *ibi Jupiter creſcit!*) item hordeum, *triticum: ſacharum, manna, rhabarbarum* (quod ipſum etiam, ut epati ſimile, ita ſpecificum ſit ejusdem purgans & corroborans q., conſtat enim parte volatili ſ. tenui purgante, & terreſtriori ſ. craſſiori adſtringente, unde & in dyſenteriâ, morbo epatico, optimum præ aliis eſt purgans: cùm inſuper eundem cum bile ſaporem & colorem obtineat, bilem & ex minori Martis, majori Jovis ciſtæ incluſà, capſulà peculiairter educit) *nuces* dein *pineæ, amygdalæ dulces, paſſulæ, piſtachia; ſtyrax, maſtix*. Hiſce, ex triplicitatis ſanguineæ herbis, addere lubet eas, qvarum eſſentia maximè conſiſtat in ſulphureo, ſpirituoſo, oleaginoſo: qvarum *ſympathia* feriat hepar ac venas, Jupiter n. ut epatis, ita & ſanguinis præſes eſt. *Antipathia* eſt cum iis affectibus, qui à ſero ſalſuginoſo proveniunt: ſed enumeremus ſimplicia, quæ huc qvadrant, & ſunt: *primula veris, bellis fl. albo, tanacetum, parthenium, origanum, centaurium minus,*

Triplicitas ſanguinea in Vegetabilibus.

Tragopogum

tragopogum f. ſcorzonera Dodon. & Matthioli,fl.chamameli.verbena mas,chelidonia utraq;, flos Mariæ, althea, malva, ebulus, anſerina, meſpil. f. viſcus tiliæ, lunaria, arthemiſia, menthaſtrum, alſine, flores avellanear. ſcabioſa, lyſimachia, ex quâ certo tempore collecta (ſub lunę puta & Jovis vel Veneris conjunctione) certiſſima ad ſiſtendos omnes ſanguinis fluxus, ad ſcorbutum quoque, fit medicina: *ab animalibus deſumta* huc faciunt, *medulla oſſium eqvuleorum*, atque eorumdem lien, ſanguis,ut & catellorum,talparum leporum:butyrum item majale:reliqva taceo.

Animalia Jovialia. *Agnus.* *Ex animalibus* porrò Jovialibus ſunt: agnus, (humilitatis,manſuetudinis,fidelitatis, caſtitatis, ſpeciem præ ſe ferens: novit heic quæqve ſuum herum, cui ſe ſubmittit, cui fidit, cui caſtam ſe gerit, quin ſummâ etiam cum patientiâ ipſi cultro jugulanti ſe adplicat, unde ex analogiâ dicimus: Er oder ſie iſt ſo gedultig / wie ein Schäfflein: immò cùm alacritate heic videas juniores agnellos, inter centum vel mille etiam, ſuas agnoſcere matres) *elephas* *Elephas.* (qui recondita q. naturâ ipſa aſtra ſuſpicit) *monoceros* *Monoceros.* (cujus laudatur caſtitas ob cœlibatum,hinc cum myſterio depictus legitur antiquitus, inclinato, in ſanctiſ-

ſanctiſſimæ Dei-paræ ſinum capite) *cervus* (à quo chirurgi primum didicerunt ſagittas & alia, ex corpore extrahere: cervus quippe, telo venenato percuſſus, naturalisq; prudentiæ Jovialis inſtinctu, ſtatim properat ad diptamnū herbam, cujus eſu ſagittā incuſſam excutit: fertur etiam narium forti odoratu ſerpentes ex antris adtrahere! c. c. lap. Bez. in medic. *vel æqvat vel ſuperat!*) *delphinus* (fidę amicitiæ notā præbēs, cùm fideli etiā in hominē feratur amore: hinc verus canis eſt delphinus, delphin/verus φίλαξ philax/cuſtos, herū ſuum amans & cuſtodiens, quē ob id ſingulari cōmendat elogio Lipſius! ubi tamen contrariū noto, in *cane* & *porco*: uterq; Jovialis eſt; ille herum, quem dixi; hic, ob inuſtionem, necem ipſam, aliud malū, grunnientem alterum, cui ſimili voce accurrere cupit, porcum, amando: uterqve iterum à Jove diſcedit: ille, ex infidelitate, ſocium canem, ejulabundo lapide petitum, relinqvendo, [qvod vitium ita culpamus: Ey du vngetrewer Hundt] hic immunditiem, [quam itidem in homine immundo teutonicâ taxamus voce: Ey du garſtige Saw!] non munditiem, amādo! munditiem è contrà quia colunt *cuniculi, cati, lepores, ſciuri*, valdè qvàm in

Cervus.

Delphinus.

Canis & Porcus.

Cuniculi, Cati, Lepores, Sciuri.

ore, cum crispis inqve gyrum ductis pedibus; & vicissim pedibus, reliqvoqve corpore, cum ore [ita mutuam alterum alteri præstat opem] mundandis, occupata, meritò Jovialium qvoqve cancellis includenda sunt animalia, quæ si quis unà intra cancellos aleret, & oculos & animum cum munditie, ab ipsis didicitâ, pascere posset: haberetur enim simul & à catis s. felibus exercitium lusus pilæ, à qvibus lusum, à scarabeis pilas ipsas, ortum traxisse puto, velut naves & navigandi artem à sciuris! huc ob prudentiam & circumspectionem Jovialem; refero *serpentes* (hinc scriptura nos docet: estote prudentes, sicut serpentes, seidt kluge wie die Schlangen!) ob simplicitatem, *columbas*:) hinc scriptura: estote simplices, sicut columbæ: einfältig wie die Tauben!) ob *diligentiam*, & providam curam; *apes & formicas*: hinc scripturæ illud: *abi piger ad formicam & disce*: hæc, licet tenue animalculum, per æstatem nihilominus, magnâ stipante catervâ circumcursitando, colligit in futuram sibi hyemem penum: apis, tenuis avicula, circumvolitando, exsugit, unde favos circulet, mella stipet; sunt & alio nomine *apes cum gruibus* Joviales dicendæ, dum istæ

Serpentes.

Columbæ.

Formicæ & apes.

illæ integro cum examine, hi integro cum comitatu è Scythiâ ad Nilum usque hybernatum euolando, ad colonias educendas, ansam præbuére: addit *scriptura* diligentes *cuniculos & araneos*; istos prædruis in rupibus, domiciliorũ speluncas sibi effodientes: hos in Regum qvoqve palatiis habitando, telas texentes:) ob gratitudinem ergà seniores; *ciconias & cucuphas* (quę gratitudinis memores, parentibus in senio, nõ tam cibando, qvàm de loco in locum deportando, benefaciunt: licèt ob justitiam qvoqve ciconias, Joviales dicere possis: historiis quippe constat, ciconiam marem, olfactu in fæminâ deprehenso adulterio, collectóqve, ex reliquo ciconiarum tanqvam scabinorum consessu, judicio, ream fœminam auxiliatrice manu deplumatam, prorsus discerpere: cujus rei oculare exemplum, propè Spiram in sylvâ factũ, accepimus: ut vel hinc, judices, adulteria punientes, meritò ciconiæ sint dicendi; exemplum quoque consessus judicialis ab animalibus peti possit. Optandum sanè, ut & mariti aliquot ciconiali odoratu, in uxoribus tanta quandoqve deprehenderent adulteria, reasque ad ciconialem judicum consessum ablegarẽt deplumendas:

Judicialis processus apud ciconias.

nisi forsan per jocum ex Poëtâ dicere velim, posse ejusmodi odoratum salivatâ (salvâ tamen veniâ) ex urinâ haberi, dum maritus manè quandoq; adulteræ suæ vel cubile vel domum prætereundo,

Applicatio ex Juvenali.

---- ---- calcat luce reversâ
Conjugis urinam, magnos visurus Amicos!

ast, bone Deus! qvotqvot & hodie fors reperire liceat, qui repudiatâ tantâ ciconiarum castitate, nec odorare semel, nec deplumare, nedum discerpere velint, nec enim amoris patientia crucem istam permitteret? sed vel ob hujus vel illius vel alterius rei commodum, istiusmet farinæ hominibus placet, qvod Jurisconsulto illi ap. Ausonium: nempe;

Auson. epigr. 89.

Juris consulto, cui vixit adultera conjux
Papia Lex placuit, Julia displicuit!
Quæritis unde hæc sit distantia? Semivir ipse,
Scatiniam metuens, non metuit Titiam!

De cõmodo, qvod innui, forsan ubi quæras, quidni idem innuat poëta, quando canit:

Semivir uxorem duxisti zoile mœcham;
ô quantus fiet qvestus utrinq; domi!

Sed commodũ vel incommodũ hoc claudo per sacrũ obicem!) Joviales porrò ob

natorum

natorum curam, dico *Hirundines*; qvæ vitiatis pullorum suorum oculis, adfrictu chelidoniæ herbæ, unde ophtalmica hæc nobis facta, medentur! sed nimis longum foret, omnium Jovialium animantium virtutes heic adferre: poterit, meâ judicij tenuitate ita ferente, quilibet peculiaria, qvæcunq; illa sint, ratione peculiaris virtutis, cælicæ virtuti correspondentis, sub peculiarem qvoqve Planetam, referre: alias joviales etiam sunt: *phasianus*, *perdix*, *gallus* (ob zelotypiam qvid. Saturninus [dann er läst nicht gern frembde Hanen in korb] ob liberalitatem tamē, in gallinas, subobscuro cucullante cantu (mit dem guckelen) ad cibum convocatas, [denen er hernach neben dem Fittichstreich seine gravitätische Ceremonien vnd fechtsprūng zu einer kurtzweil beim halben essen macht] exercitam, Jovialis) *gallina* item cum ovorum suorum vitellis (relicto Lunæ albumine) *aquila*, quæ Imperatoribus, principibus, nobilibus, adhuc hodie, non sine causâ (antiquis etenim Jovialis hæc avis clementiæ & justitiæ, meritò etiam à principibus istis ceu aquilis exercendæ, signo fuit) pro insigni servit. *è lapidibus* Jupiter tenet sapphirum, smaragdum, hyacinthum: *è metallis* ele-

Hirūdines.

Phasianus, perdix, gallus.

Gallina.

Aqvila.

Lapides.

Metallum.

git sibi *stannum*, qvod apud chymicos Jovis adhuc signaturâ & nomine notatur: hoc, si Iove in fortitudine suâ, domibus sc. sagittario vel piscibus, vel exaltatione, cancro, existente, bonis insuper Solis potiss. ac Veneris adspectibus fruente, chymico artificio elaboraretur, dubio procul majorem vim ac efficaciam inde acqvireret: posset hocmodo multò fortius Antihystericum parari, qvàm qvod communiter fit ex cristallis Iovis: possent ita, non tam heic, qvàm alibi, fieri & alia, ea qvæ prudentiæ ac experientiæ philastrologo-chymici commendo: est & Iovis in chiromantiâ usus, cui mons suus sub indice digito dicatus est claudat nunc Iovis hanc historiolam sigillum! Antiqui tale quid sculpserunt in lapide qvodam albo pellucido, cristallo, intra horam Iovis, in exaltatione positi, cum figurâ hominis coronati, sedentis super aqvilam, in dextrâ sagittam tenentis, croceas induti vestes: atqve hoc sigillo usi fuêre ad vitæ longitudinem, aliasqve & corporis & animi fortunas conseqvendas; adprobo, si absqve superstitione: sin minus, reprobo! Paracelsus singulorum planetarum sigilla ex propriis eorumd. metallis fundere jubet, Saturni ex plumbo,

Mons Chiromanticus.

Sigillum.

plumbo, Iovis ex ſtanno, Martis ex ferro, Solis ex auro, Veneris ex cupro, Mercurij ex Mercurio coagulato, Lunę ex argẽto: nec tam ex propriis metallis fundere, qvàm propriis pãnis, propriis ſuis coloribus tinctis, indere jubet: ſigilla autem hęc multis trabum inſtar in oculis jacent! Quidquid ſit ante triennium ego, apud amicum quemdã Noricum, tale qvid ex Iove, Sole, Venere, Lunâ (obſervato accuratiſſimo, cui obſervationi tum præeram, fortis cœli puncto, diſtincto licèt ex diſtinctis metallis tempore) non absqve inſigni ſubſeqvente in Medicinâ ſucceſſu, cum ſummâ item alacritate fuſum vidi, cujus ſplendidi doni & tum mihi facta copia: non dicam, qvid Iovis ſigillum, in ſenatu Iovis, inſperati tum decreverit (nec enim fruſtrà ſenatores ab antiqvis illud ſuum ſubſcriptum: decretum in ſenatu Iovis (im grössern Raht) hauſiſſe credendum: ſubeſſe aliquid ſuſpicandum, quod multi ignorant) liceat autem hoc dicere: planetaria iſta ſigilla, debito tempore & ſculpta & fuſa, proprio poſtmodum proprij coloris panno incluſa, de collo geſtata, non tam præſervandi, qvàm curandi ſcopo, magneticè q. prodeſſe; profutura autem ibi demum, ubi, ex qvo

planetâ peculiariter ortus, vel cui ſubje-ctus fuerit morbus, conſtiterit: gratiâ exempli; alterutrum, vel Iovis, vel Lunæ, ſigillum, in epilepſiâ proderit, cùm epilepſia ſit & Iovialis & Lunaris morbus: ſubcurrit modò aliud! qvid ſi, curæ epilepticæ, immò & alchymiſticæ curæ gratiâ, tempore conjunctionis Iovis & Lunæ, coagularentur invicem Iupiter & Luna, ſtannum inqvam & argentum? vel cùm epilepſiam tertio qvoqve (poteſt enim res una variis ſubeſſe planetis) Mercurio adſignent, coagularetur inſimul cum iſtis Mercurius, prius tamen, ſub Mercurij & Saturni, in domibus potiſſ. Mercurialibus, vel ſignis fixis (optimum eſt capricorni ſignum!) conjunctione, per ſe coagulatus? ita res forſan ſine metu ſuccederet! ita autem (qvod ſemel heîc indigitatum volo) procedi poſſet cum ſingulis metallis, in ſingulis morbis planetaribus, ſpecificis, appropriatis! ſed majoris judicii viris & hæc & iſta & illa committo, à qvibus ut erudiri, ita quotid. diſcere cupio. Iovem Alchymice *Transmutatio.* tuû ſi transmutatû velis in Solem; incipias laborem ſub Lunâ in leone, horâ Solis: ſin in Lunam, ſub Lunâ in cancris, horâ Lunæ: Saturnum, in aquario, horâ Saturni:

turni: Martem, in ſcorpio, horâ Martis: Venerem; in librâ, horâ Veneris: Mercurium in virgine, horâ Mercurij! Tantum de brevi transmutatione aſtrali, & tãtum de Jove! id quod & aliud heîc neſcio an in majori Senatu Jovis, (judicia magnorum intendo) ita decretum ſit! Properemus ad Martem!

INTRODUCTIO MARTIS.

TERTIUS *jam in acie ſtat* MARS, bellorum ille & armorum author-ductor! Quanta hic (eheu!) hodie negotia, quanta incendia, quanta regna, fecerit, excitârit, everterit, plurima hominum gens, ſuis culpis, ſuis damnis, diu acceperunt! Ardet furibundus ille Mavors, in medio (quod ſpatium, ſolenni curſu, intra novennium abſolvit) Jovis & Solis; proxima, puto, ut incendio ſit aqva (ſi nullibi, in hoc certè incendio neceſſarium eſſe vult, waßer her/ waßer herbey!) quæ Solis & Jovis poteſt eſſe benignitas, licèt hæc in nimiam hodie verſa videatur tarditatem. (dann es wollen weder Sol noch Jupiter helffen!) Ex ardore dicto, jam dum

III. MARS, ejusque natura.

Motus.

Temperamentum. eminus emicat natura Martis, calida & ſicca, unde tonitruum, grandinum, corruſcationum, immò bellorum, ſignaturæ in ipſo Marte latent, qvarum vicinis his noſtris annis veſtigia ſat expreſſit: qvæ, qvæſo, non bellica, proximo in quadriennio, (immò novennio) ex magnis illis conjunctionibus in cancro, leone, virgine, excitavit incendia? qvas non tragœdias cum plurimis, ab aris & focis rejectis, egit? quas non clades vineis nuper & agris noſtris cum Saturno ex ſignis frigidis, intulit? quas nõ intempeſtates alias, etiam hominum memoriâ immemorabiles, vel ſolâ hâc æſtate, his ipſis menſibus, adtulit? Ac licèt has pœnas meritò ad ſupremum referamus vindicem, cogitandum tamen, & ipſummet, ex juſtâ in corruptam hanc noſtram naturam irâ dudum puniiſſe, adhuc dum punire, & in poſterum per naturalia quoque puniturum MEDIA! cogitandum, naturâ noſtrâ in pejus inclinatâ, & ipſa aſtra, immò omnia in totâ rerum univerſitate, in deterius verſa eſſe! uno martiali verbo: vivitur ex RAPTU! atq; ita vivere, *Martis eſt*! ſed illicitum nunc pœnè aſtrologis, cùm ſupervacaneum ſit, martialibus ferreisque his ſeculis, cosmicum de martiali bello

Effecta.

libello facere judicium, cùm undique nunc Mars

occupet arma armis ----

totúsque undique orbis

arma arma sonet!

Sed faciamus iterum, qvod nostrum est, ac qvæ temperamenta, qvos morbos, qvæ medicamenta, martialis noster sub se cõtineat, indicemus: dixi modò, intemperatam marti inesse naturam, calidam & siccam, immò fervidam! exin complexio emergit cholerica: hinc in microcosmo martiales sunt cholerici, iracundi, animosi, gigãtes, fortes, crudeles, temerarij, sumtuosi, ebriosi: hinc fiunt capitanei, milites, aulici, opifices circa ignem, Bacchi seu strenui potatores, quibus plerumque vel martem cum venere ac mercurio, in signis siccis, vel cum Lunâ in humidis (unde ad ebrium dicere solet frater: Du bist gewiß in einem nassen Zeichen gebohren: quod idem est, ac si diceret, du bist gar ein nasser Bruder:) conjunctum fuisse observavi: rixas item, omnes istos inter potandum movere deprehendi, quibus juxta priorem positum accesserit violenta oppositio Saturni (die müssen zu Zancken haben / vnd solt es auch mit der Fliegen an der Wandt geschehen / müssen schlagen

Martiales.

gen oder geschlagen sein: vel alapant, vel alapantur:) nō immeritò per jocum heic quis diceret: totam Germaniam, alterâ ex parte, sub Marte, ob pocula; alterâ, sub Saturno, ob labores; natam esse! juxta vulgatum illud:

Germani cūctos possunt tolerare labores,
ô utinam possent tam bene ferre sitim!

vulgò & Italis de Germanis in ore illud:

Gl' Todeschi sono embriachi.
Germani sunt potatores (die Teutsche Zechbrüder)

velut è contrà Germanis de Italis:

Gl' Italiani sono amorosi.
Itali sunt amatores. (Die Welsche Hängst!)

Unde & non immeritò, ceu Germaniam sub Marte (immò verè: nam Germanorum Antiqui, strenui fuerunt bellatores: (hinc canitur: die tapffere Teutsche Soldaté/die schlagen tapffer drauff) ita Italiam sub Venere quis natā fuisse suspicetur, cùm & Venus ipsa è maris (Italiæ proximi) spumâ prognata fingatur: hinc Germani, ἐκ τοῦ γνῶθι σεαυτὸν, τὸ γνῶθι δεύτερον, ex jure talionis respondent Italis:

Ut nos dulce merum, sic vos Venus improba vexat;
Lex lata est veneri Julia, nulla mero!

Liceat-

Liceátne cum Marte nostro ire ad particularia? licebit forsan! qualé igitur Marcis positum habuisse putes, omnibus illum numeris perfectum potatorem Torqvatum, egregium poculorum torsorem, qui nunqvam contra bibentium regulam (Sauff Regel / regulam bursalem, omni tempore talem) peccans, tres conchios ἀπνευστὶ, hausticās (ohne schnauffen vnd barthwischen / in einem schmalē züglein / regulariter herausblaßendt daß der Hertzbēdel darüber fracht!) ebibit? qualem, Ciceronis filiū (anne Herois filiū, noxā?) qui duos *saltē* cōchios haurire *solitus est*? (ist nur eine gewohnheit gewest!) qualé, *Bonosum*, qui tātū bibit, quātū hominū nemo? (den solte man billich zu einē andern Bacho oder Sauff Fürsten machen!) ita, ut & de suspēso iverit jocus: *amphorā, non hominē*, pendére! tantos a. Torqvatos, tantos Cicerones, tantos Bonosos (cur non malosos? Malhoßos? depingitur enim gulosus cum laceris vestibus: cum superscriptione: Salus macht zerbrochene Hoßen.) adhuc hodie reperire licet, quorum themata si qvis inspexerit, ebrium certè Martē reperiet! absit tamen, ut isti excusari velint; *oportere se bibere, quia Mars inclinet*: verum est: *inclinant astra*: *sed* verum & alterum

rum est; *non necessitant!* sed forsan nec inclinarent astra, nec necessitarent, si cum strenuis istis, vel majorum gentium potatoribus, (Seuffern in folio) corrupti nonnulli vel minis vel pœnis exciperentur, veluti ap. Saxonem, οἰνόφιλος, fallax iste neqvam, qui integrū vino repletum dolium, in terram tamen (heic latet angvis in herbâ!) defossum, uno ore, tanquam omnibus potatoribus unâ palmam manu prærepturus, ebibere cupiens, gulam omninò ἀπνευστὶ (das heist recht in einem Schnipff entåthemt!) perdidit: forsan meruisset & pœnam, quam ille, qui in dolio, vino malvatico repleto, prorsus suffocatus periit: sed hæc per jocum! poculorum pedisseqvæ cùm sint vel rixæ vel verbera, ideò & heîc statim sub Martem revoco rixatores, pugnatores, *& non tam in pugnando, qvàm scribendo discordes Academicos*, alios: qvò spectat Ovvenianum illud tetrastichon:

Reges belligerant, faciũt & fœdera Reges:
Est aliqvid serâ deniq; pace frui!
Presbyteri certãt, atq; immortalia nectũt
Jurgia: litigiis non posuêre modum.
Unde venenatæ levis inclementia lingvæ,
Et qvàm sit calamus sævior ense patet!

Unde ceu dicimus, plures hodie gulâ qvàm

qvàm enſe perire; ita ferè & plures, inter ipſa tamẽ Martis tempora, calamo, qvàm enſe pugnare, dicendum erat! Huc pertinent & litigia Martis conjugialia, (ubi mirãdum: daß nach långſten vorhergehender Hochzeit/ jedoch die Handtſtreich noch tåglich gehalten werden!) ex infensâ ſc. Martis in domo conjugij præſentiâ, ejúsve inimicis cum dominis conjugij radiis, originem trahentia: unde maritati quandoque inſtar canium, gallorum, felium, inter ſeinvicem vivunt. Martialis porrò Bacchi ſocia cùm ſit Venus, vix poteſt Mars noſter, qvin ut Bacchum, ita & Venerem, ſine Cerere & Baccho frigentem, amet: hinc ferè tot, immò plures amatores, qvàm potatores reperias: ſolet autem Mars, Veneri vel corpore, vel radio conjunctus, luxurioſam illam cum pulchrâ Venere agere vitam, quæ tamen, minante hoc malum violento ac infauſto Martis Venerisq; in cœleſti themate loco, tragico ſæpe finiri ſolet exitu! ô ergò deformem pulchritudinem, cum tam infelici exitio, de qvo dicatur! *vixit, moriendum illi eſt*! der Kopff muß dran! in qvam ſententiam adduco Poëtam loqventem;

---- Quidqvid levius meliúsq; putâris, *Iuven.*
Præbenda eſt gladio pulcra hæc & candida cervix!

Non

Martialis tragœdia. Non possum, quin Martialem item tragœdiam, quæ, ob irritatam Alboini Regis uxorem, Rosemundam, (ergò non licet mulieres irritare!) accidit, heic interseram, cujus copiam ita facio, quam lubẽs facio, cùm pateræ ex cranio humano factæ mentio iuxtà fiat: res tragœdialis ita nempe habet. Alboinus, Lõgobardorum Rex, postqvam Cunimundum Regem Gepidarum, bello superasset, ejusque regnum prædâ & incendio depopulatus esset, abductâ Rosemundâ ejus filiâ: captivum Regem truncavit capite, & ex ejus cranio curavit sibi pateram efformari, è qvâ per triumphum biberet: factumque est, ut suâ sorte non contentus, trajecerit ex Pannoniâ in Italiam: eamque totam planitiem, quæ est ad Padum, devictis Italis occupaverit, Regiam quoque, Papiam nũc dictam, sibi stabiliverit Ticini: Veronæ aliquantò pòst, cùm solenne convivium cum regni Principibus instituisset, vicissim omnibus ex Gepidæ regis cranio propinavit, multa insolenter effutiens in victi ludibrium, præsente etiam Rosimũdâ, quam tunc uxorem duxerat propter insignes corporis animique dotes, quam etiam, ex eâdem cum cęteris paterâ ut biberet, adegit; hâc immanitate exulcerata & ir-

& irritata mulier, marito mortem procuravit; primò per Helmelchildem nobilem ac ſtrenuum juvenē: qui cùm parricidium recuſaſſet, ad Peredeum equitem nobilem ſe convertitis quoque parricidij negotium non accepit. Roſemunda ut aggreſſum facinus exeqveretur, Peredeo ſe clam proſtituit, qui rem ſe habere cum aliâ puellâ crediderat: cui mulier exclamans, inquit: aut Alboinum occides, aut ab eo trucidaberis adulter: Peredeus cùm ſibi pernitiem videret paratā, niſi obſeqveretur, cum Helmelchilde & Reginâ, Regem aggreſſi, illum occidunt pomeridiano ſomno vacantem, ſublatisque theſauris Regiis, & abductâ ſecum Alviſindi, filiâ Alboini ex priore uxore, Ravennam fugiunt ad Longinum, qui Italiæ præfectus erat à Tiberio, filio Conſtantini Imperatoris, at Longinus amore Roſemundæ captus, illi perſuaſit, ut Helmelchilde ſublato, ſimul contraherent matrimonium: quod mulier, quæ dominatum ambibat, facilè promiſit, porrectoque marito in pota veneno, à Balneo redeunti, cùm ſenſiſſet veneficium, exerto gladio mulierem adegit, ut, quod de potione ſupererat, biberet: ita mortuus eſt uterque merito exitio: Longinus verò

Alvisindem puellam, cum regijs thesauris transmisit Constantinopolin, & cum eâ Peredeum, quem prius effossis oculis visu privavit, ut luce indignum, qui Regem & Dominum suum trucidâsset: hæc Martialis omninò est historia, quam ob cohæsionem recensui prolixius: brevia ita habete versu:

Ut bibit è cranio cæsi Rosemunde parētis,
Immane ulta viri est sangvinolenta scelus.
Authori cædis nubit: cui mixta veneno,
Vina dat: & pœnas mox peritura luit!

hæ tristes inqvam tragædiæ à Marte sunt, qvæ tamdem hilares illas diu sub Martis venerisq́ue vexillis actas comædias subsequi solent: hinc & tot pulchro corpore fæminæ (animo licet deformes) cũ martiali hâc finali tragædiâ suum clauserunt diem! sed callidi isti & astuti homines quorsum pertinent? aptius neutrorsum referri poterunt, qvàm huc ad Martem, qvippe qui Mercurio junctus nimisqvàm fit astutus; sed & fallax, nî draconis cauda procul abfuerit; sed & acutorum ungvium, si Saturni qvadratus vel oppositio ex congruentibus locis consenserint: sed & gulosus, nimisq́ue delicijs deditus, ubi idem Saturnus ad Lunã vel venerem malè

malè ſe adplicârit: hinc licet literatis qvā-doque ſubtilis ille Mars cum Mercurio in ſignis potiſſ. igneis bene faveat, ingeniumque optimâ limâ expoliat, cæteraq; ipſi tamen, quæ metui, delicatâ ſuâ ſpurcitie, qvod politum fuerat, iterum conſpurcare ſatagunt (unde ex commiſeratione qvandoque loqvi ſolemus: Er hat einen feinen Kopff / wann er nuhr kein praſſer vnd ſchwermer darbey wehre) hinc tanta per gulam corrumpuntur ingenia: gula quippe ut ventrem, ita & ingenium incraſſat, hebetat; hinc raró ex craſſis gulęque deditis, vitiisque ac delitiis pingvibus corporibus, ſubtile qvid proficiſci videas, cùm παχεῖα γαςὴϱ λεπτὸν ὐ τίκτη νόον: *obeſus venter ſubtilem haud pariat mentem:*

------ & corpus onuſtum

Heſternis vitijs, animū quoq; prægravet! imò ex martiali venereâq; hâc ingluvie, quei ingenij tui Mercurium ad veritatis eloqvium ſemper adſueſcas? cùm veridicum tuum Mercurium ſemper cum Jove oporteat eſſe ſobrium? ſobrietatem hâc, atque ex ſobrietate veritatem, ubi, juxtà gulam tuam, defendere, maximeque verum dicere voles: vix vereor, ut poſſis, cùm Martis tui *intemperantia*, non virtutum harum, ſed *vitiorum* ſit *nutrix!* è con-

trà, mi Martialis homo, ubi cum Martiali tuo ita petieris:

Dic verum mihi Marce, dic amabo,
Nil est quod magis audiam libenter!

cum Juvenali forsan ita tibi respōdero:

Quêi potes vis dicam? NUGARIS! cùm tibi calve
Pingvis aqvaliculus propenso sesqvipede exstet!

atque hæ, (benivoli L L.) Martis nostri sunt virtutes, hæc vitia, quorum numerum me heic explésse, non cogitetis: vix feci initium! sed quia finem non video, metuo, ne, si pergam, in duplex omninò vel triplex veniam trivium! quare devij erroris metu, valdè qvàm opportunam heîc video viam, redeundi in bivium! prolixiori forsan sermone, sub Martem hactenus retuli bonos ac malos; cholericos nempe, capitaneos, milites, aulicos, opifices circa ignem, potatores, rixatores, malitiosos, amatores, gulosos, quos uno verbo adpellare decebat intemperā- tes! ex studiorum nunc genere, meliori tamen omine, ad eumd. nostrum Martem referre mihi liceat nostros chymicos ac Medicos, quorum nutrix item Martialis intemperantia! experientia siqvidē prodidit, ad summum practicos istos felici-

Homines martiales.

tatis

tatis pervenisse culmen, qvibus Mars in morborum, (quorum ij curæ destinari solent ac debent) domo, cum Venere potiss. ac Mercurio, præsentibus capite vel caudâ draconis, felix repertus fuit; sed in *nutritione* quid Mars expedit? forsan nil boni! nutritionem qvippe vitamque ipsam multis abbreviavit Martialis iste vitarum osor, qvibus infelix fuit in horoscopo aut domo mortis inventus: dicitur idem Mars in quintâ liberorũ domo, non tam spurios (plurimis a. adferuntur tales, etiamsi Martem in quintâ non habeant!) dare, qvàm interficere istos cum legitimis: ceterùm ad verum scopum ut redeã, Martialia in corpore nostro sunt; *statura* longa (hinc & ipsa Martis effigies cum longâ authoritate inter arma & armatos depicta cernitur) cum capillis subrubeis, quandoq; etiam ob nimiam adustionem nigris, sed crispis, oculis cœruleis, interdũ igneis (denen das Martialische fewr zu den Augen heraus leuchtet vnnd vff dem Kopff brennet) cute & pectore nimiũ quantum hirsutis; Martialis istiusmodi ac hirsutus fuit insignis ille Heros, cui non tam exteriora pectoris omnia, qvàm & interiora ejusdem, circa cordis præc. substantiam, omninò adparuére hirsuta, qvam hirsu-

Nutritio.

Statura.

tiem αὐτοψία anatomica ita prodidit! nõnunqvam tamen & longus iste Mars dictus, curtus fit aut gibbosus, si circa cardines conspiret cum Saturno, capite aut caudâ draconis, lęsis insuper luminaribus, quæ mala fortuna, Paulum Eberum, gibbosum factum, aliosque mali corporis habitus, pressit. Mars insuper cùm felleus sit, ideò domicilium sibi struxit in *felleâ microcosmi sede vel cystide*, quæ cùm nimis angusta fuerit, habitare insuper ipsi placuit in renibus, dorso, venis, pudendis: quin propter arietis & scorpionis domos, in lumbos præterea, atque arietale caput, exspatiari ipsi concessum est! iratus existens Mars hic, dominatur ex humoribus *bili*, quæ multos efferos, effrœnes, iracundos, reddit: è facultatibus, expultrici & irascibili: è saporibus, nimis felleo, nimis acerbo, nimis amaro: è coloribus, subrubro citrino, qui & color est bilis, item rubro acq. igneo; Mars quippe igne gaudet incendioque: tali bilis igne, cùm inflammetur Mars noster, ideò & ignem in corpore accendit sacrum, erisypelata, inflammationes, febres tertianas, continuas, ardentes, immò ipsam pestem (ad qvam cũ Saturno per aliqvot ab hinc annos ansam plurimam dedit) exanthemata

Partes.

Humor.

Facultas.

Sapor.

Color.

Morbi.

mata

mata, carbunculos, apostemata fervida, maniam, phrenitidem, hemicraniam biliosam, icterum, coleram, exspuitiones cruentas dysenteriam (in cujus epidemię causis Mars ante omnia consulendus videtur) est & Mars noster author nephritidis, herniæ, doloris vel difficultatis partus, quæ mala ipsi tribuo potiss. ob scorpium, cui inferiores istiusmodi loci affecti subjacent. In hoc signo si lædatur à Saturno, utroque horum maleficorum existente retrogrado, infestatis simul luminaribus vel solâ etiam venere, afferuntur præ cęteris offensæ, qvas ultimò dixi. Non possum, quin occasione horum morborum, calidorum & siccorum, sub marte in scorpio provenientium, dubium illud meum de qualitate signi martialis, scorpij sc. heîc proponam, num omninò hic sit frigidus & humidus, nullo modo calidus, ob herum suum martem, calidum siccumq́ue, calidos etiam siccosq́ue morbos, in eod. suo scorpio excitantem? sed nolo contradicere experientiæ, quam ita relinqvo, cùm antiqva sit! sed non tam morbos prædictos adfert; quin ipsa etiam vulnera infligit Mars; unde rarò hominem absque cicatrice reperias, cui Mars fuerit in horoscopo, cui facies subjacet,

adflictus: non dicam nunc de istis, qui αὐτόχειρες fiunt, vel quibus violentæ ab aliis interūtur manus, in qvo discrimine Mars in sinum gaudet, tacitoque etiam inter astra ferri videtur risu : id quod eò citius fieri novi, quando bini malefici ex horoscopo potiss. & occidentali cardine sese feriunt: talis positus fuit Oratori *Politiano*, qui proprio tandem veneno, morti se venum dedit : talis violenta fortuna alij cuidam collum ex labsu ab eqvo fregit, cui Saturnus ac Mars cum aliis in leone in domo mortis fuére conjuncti: tale violentum fatum, alium qvemdam proprijs laqveis strangulavit, alium gladio jugulavit, quibus malefici, domini & vitæ & mortis, utraq; in angulis luminaria, partim ex horoscopo, partim ex domo mortis, violentè læserunt! sed desino exempla adferre, ne alijs forsan fatum ex cœlo facere videar! Faciant ita alij, mihi meliora, quæ scio, intra præcordia illuxit Titan! unde non possum, quin invehar heic in Cardinalem Philosophum, qui etiam Christi, Salvatoris nostri mortem in cruce prævidere, vel (imò nimis præposterè) postvidere voluit, cùm Mars ipsi fuerit in domo mortis! judicate quæso, annon hæc blasphemia sit in Christi mortem? sed in omni-

Casus violenti.

Cardanus arguitur.

omnibus pœnè aliis, tam excelsam juxta narium summitatem, hic gessit frontem, cujus propriæ, potiss. in curationibus admirandis, laudes, placeant, cui & sui propria! præsens exemplum qvod concernit; anne ipsi tam exactè de Christi nativitate constitit? vel quis jussit ipsum Christi redemtoris thema erigere? non nascebatur Christus, ut Mars ipsi mortem è cœlo adlaturus esset, qvod multi ex Cardano forsan colligerent, sed ut ipse, corrupti nostri generis misertus, ex misericordissimâ patris cœlestis voluntate, pro peccatis nostris, in abjectissimâ cruce mortem lubens ita subire vellet! apage E. heic astra! apage homines! apage hominum rationes, qvàm pulchrè in divinis hallucinantes! sed ne ultra crepidam eam; referre nunc lubet qvodnam in vegetabili, animali, minerali, regnis, Mars habeat imperium? subditos nempe inibi alit, inter *plantas ac arbores*; spinaceas in genere, pungentes, urentes, venenatas, omnesqve alias, dictas ob causas collectione quoque difficiles: hinc, non tamen in ridiculo sensu, vulgatus versiculus: *Vegetabilia.*

Difficiles lectu mihi Mars facit improbus herbas!

Carduos in specie, ononidem, (quam, nescio an superstitiosè quidam sub Marte, in M. C. cum Jove conjuncto, collectam, pro amuleto contra omnem violentiam martialem externam gestant: alias ex signatura punctionis, non tam in pleuridite quàm nephritide egregiam ononis præstat opem) urticam, (cujus semen sub Martis item, in medio cœli, positu in ariete, scorpio vel capricorno, collectum ac potatori in poculo exhibitum, rixosos paullò pòst excitat spiritus: das solte man billich den Haderkatzen geben / die inter pocula lust zu Zancken haben!) flammulam, cæpas, (qvarum recenti succo si scalpella illinantur, venenatam q. vim contrahunt, unde & scarificata cutis cum carne putrefacta excidat. Pessimo hocce fuco, scarificator qvidam usus, ut haberet pestem, quam sanaret: sed succus & fucus paullò pòst ipsi defuêre, queîs collum cervici re affixisset!) porrum, allium, raphanum, sinapi, piperiditem, napellum, hyoscyanum, persicariam, dracontium, sangvinem draconis, asparagos, ob primam nempe Martis domum, arietem; experientia siqvidem constat, ex seminatis rasuris cornu arietis, nasci asparagos: item basilicon, ob alteram Martis domum

mum, ſcorpionem, cùm baſilicon inter duos lapides contritum, ſcorpiones gignere fertur: porrò elleborum euphorbium, laureolam, eſulam (cujus extractum rectè paratum in hydrope optimum) ſcammoneam, (hinc ſcammonium ſ. diagridium, forte illud officinarum purgans: mitius ſi cum ſpir. vin. extractum cum aq. beton. in pulverem altum præcipitetur: cui ſimilem ſpeciem, licet purioris ſubſtantiæ, flaviorisqve coloris, accepimus gottgummi, ſeu *gomi de gotta*, id quod, ut dixi modò, ſpecies eſt ſcammonij: ceu coram vidi in literis ad D.D. Sanctoriū ex India Venetias miſſis: unde breviter ap. illos, quib. lubet, cadant nunc omnes, quotquot hactenus de gummi illo indico opiniones qvas recenſere hic ſuperſedeo varia in ſenſa, prolatæ fuerint: deceptor nuper qvidam dixit, eſſe ex antimonio, qvod omninò fuit contra meam fidem: fit tamen, paucâ in doſi, cum antimon. diaph. & tart. vitriol. vel cum Mercur dulcif. in conſerv. roſ. vitriolatâ, opt. præſ. in hydrope purgans: maneat tamen penes qvemvis ſua fides: ego libentius in medicinâ credo, quod oculis video, qvàm quod ex ratione colligere ſæpius incertâ oportet!)

tet!) ſed pergo: Mars inſuper, tanqvam peculiariter ſibi ſacrâ, gaudet arbore Corno: (hinc *bona bello cornus*, ex qvâ conficiantur lanceæ ſ. longiores illæ haſtæ (die Picken!) quid ſi dicerem, gaudere & Martem ſpicis (Korneeren) lancearum ſignaturas referentibus? unde Poëtæ multas acceperunt comparationes: obiter heic addo, ſpicas illas per ſignaturã denotare vel viros, doctrinâ tacitâ abundantes, (de quibus dicitur, ſtille Waſſer grŭnden tieff/oder ein voll Faß klingt nicht lauth/) quatenus nempe, granis onuſtæ, verſus terram ſe inclinant ſpicæ: vel, qvà vacuæ in altum elatæ, indoctos, ubiqve tamen cum garrulâ ſuâ, ineptâ licèt, doctrinâ, videri cupientes (die allenthalben vornen an der ſpitze ſein wollen/ deren prieffe mit nichts verſiegelt: quibus obtrudimus: viel Wort/ wenig thaten oder wenig glauben/ quorum facta, verba ſunt, deß gerbers Hundt/ ut ille ap. Menandrum ajebat!) adjiciam prædictis nunc vegetabilibus ea, quæ ad triplicitatem cholericã ſpectant, cùm cholera Marti ſubſit: ſunt autẽ, nuclei perſicorũ, calamentha, veronica, tuſſilago, meliſſa, radices & folia roſarum, ſerpillum, urtica mortua, aparine cruciata, ſcobs eboris, lavendula, baſilicon, thymus, cupreſſus, planta-

Triplicitas cholerica.

go aqvatica, braſſica marina, ſantalum rubrum, raphanus, ſymphytum nigrum, liguſticum, chamædrys, teucrium, enula campana, carduus bened. bellis fl. rubro, verbena fl. flavo, ſabina, extremirates vitis, cœpæ, allium, angelica rubra, gentiana, herba paridis, vincetoxicum, aconitum, centaurea major, elleborus, ebulus, hypericon, millefolium, telephium, pulegium, braſſica hortenſis, paſtinaca rubra, ranunculus, cantharides, bryonia, cotula fœtida, piloſella, ſucciſa, carduus ruber, aſarum, filix, beta rubra, curcuma, momordica, roſmarinus, majorana, cortices capparum, abrotanum, pulegium ſylv. marrubium, fl. liguſtri, cinam. ſpica, helleb. alb. laurus, geniſta (cujus ſal & leũ certo tempore præparata, aſtralem præbent medicinam anti-hydropicam, quam eamdem & ſuppeditant cineres geniſtæ cum ſummitatibus juniperin. combuſti) Marti tandem conſecro & antimonium (quod ſub Martis fortitudine præparatum mirabilia præſtat in remed. Ad animalia martialia venio, inter quæ Mars regit eqvos (hi quippe pugnam martialem inter dimicandum fortius juvant, quib. ſi naturalis ipſorum fortitudo penaturam innoteſcere poſſet, ipſis forſan ex-

Antimonij præparationes vid. in curru triũph. antim. F. B. V. & alibi.

ſan vix fortius inveniremus animal!) leonis (pari vel majori virium robore pollentes, quibus vel meritò crudelitatis in in homines quoque exercitæ nota inuritur: teſtãte id nuperâ tragædiâ pueri Baſiliẽſis qui, tertiũ decimũ ætatis annũ agẽs, præteriti anni menſis decẽbris tertio, Baſilee, à Leonis, ex Africâ ad teutonum ſpectacula adducti, dentibus majoribus caput adprehenſus, in cerebri usque ſubſtantiam permorſus, audaci nihilominus adſtantium manu vivus adhuc ex ore leonis extorſus, biduo pòſt obiit: in cujus themate, exercitij ſaltem gratiâ erecto (nec enim per neceſſitatem tragædialem obitum ad cœlum refero) inveni martem in occaſu in ſuo item caſu, quadrato peſſimo Solem & Mercurium dominos mortis, in ſigno beſtiali, ex angulis lædentem; Saturnum item dominum horoſcopi, Lunæ dominæ ſeptimæ conjunctum, oppoſitione Jovem dominum alterum horoſopi, in octavâ in detrimento & caſu retrogradum, ferientem, immò, quod peculiariter obſervandum, omnes angulorum dominos, angulos non ipſos, à maleficis vel per quadratum, vel per oppoſitionem, vel conjunctionem, adſpectus omnes malos, inveni læſos: Directio-

Leonina tragædia.

ctiones, miratu dignæ tres lethales inciderunt in unicum illum 13. ætatis annum, cui mors prævenit. Directio 1. Lunæ ad corpus Saturni. 2. Saturni ad quadratum Martis. 3. Martis ad qvadratum Solis: non dico eam ob causam (ob qvam concionator in concione c.) destinatum fuisse hunc juvenem, ut ex Leonis morsu moreretur, ita enim in sectam me intruderem! hoc tamen dico, omnia in natali figurâ conspirasse ad mortem violentam, sive nunc à Leone, vel aliunde, evenisset, qvibus specialibus prædictioninus non lubenti animo me immiscere soleo, licèt, ut verum heic fatear, prorsus non curem istas; nisi ita forsan curem, uti lassum qvandoq; ingenium recreent! placebit forsan, si majoris veritatis historicæ ergò adponam duo epigrammata; alterum, Glaseri, sub depictâ tragediâ, ex Leonis morsu defunctum Juvenem, ita adloqventis:

Pingere te docui, juvenum lectißime, nuper;
Nunc mortis tristem pingo tuæ Historiam!
Sed paradisiacis tu nunc lætaris in hortis,
Cogimur obscuras heic habitare casas!

Alterum Grasseri in epitaphio, qvod sub de-

defuncti lingvâ ita orditur:

Qui legis erecta heic nostris monumenta sepulchris,
Disce etiam mortis provida Fata meæ.
Horrendum Lybicus formæ ad spectacula ductus,
Me incatum atq; avidum comprimit ore Leo!

Pergerem heic statem ad alia Martis animalia, nisi unicum placeret, in Leonis gratiam adhuc addendum: mirari licet, modò dictum Leonem furibundum, furibundis ipsum plagis excipientibus viris Helvetiis, furibundo ore detentum, dimisisse juvenem! cùm, qvæ jamjam dicenda erat, ex historiis alia pateat Leonis natura, cujus ductu in ipso crudelitatis actu, misericordem q. se gerat, prostratam ante se humilitatem cernens: sicLeo iste Florentiæ aliqvando puerum unguibus conclusum jam devoraturus, ejulabundam deglutiendi pueri matrem, ad humilia genua exorando procidentem videns, dimisit statim, quem tenuit, innocuum! atqve hæc Leonis est martialitas, cui etiam frœnum injicere novit, juxta illud poëtæ:

Corpora

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suũ finẽ, cùm jacet hostis, habet!

Parcite, (benivoli) liberaliora mihi forsan de leonino heic Marte verba facienti: curtiori nunc pede per reliqva martialia transibo: tribuam ergò Marti insuper *camelos*, (propriȩ labis ac culpæ vindices: hi n. proprij cum matribus perpetrati incestûs conscij, dentibus sibi abscindere leguntur testes: multò atrociorem in se exercuit vindictam, non testes, sed vitam ipsam sibi abscindens, iste Scytharum Regis eqvus, qui cum matre, ornamentis tectâ, incognitâ prius congrediens, incestûs postea conscius, seipsum præcipitâsse fertur: sic & eqva ipsa, aurigam, qui filium eqvum, ad incestum adduxerat, lacerâsse perhibetur à Plinio: qvo vel solo exemplo refutare liceret, qvi Lusitanicas eqvas, à ventis parere, persuadere voluerunt, tacendo, qvòd contra naturæ hoc sit ordinem! Discite his, Sodomitici, ultra mare potiss. qui latratis, canes, exemplis, fieri sapientiores: vosque si sapitis, post incestum perpetratum camelos agite) porrò *tigrides* ex rapto viventes (quorũ animalium pellibus cincti ab hostibus tuti creduntur) *lupos* rapaces; *feles*, adu- 8. nat. 42.

latores;vulpes,astutos; *hircos* salaces;*dracones* venenatos; *serpentes*, callidos; *viperas*, astutas; *cantharides*, nocuas; *aquilas*, magnanimas; *falcones, accipitres*, *milvos*, *corvos, sturnos*, fures: picæ, tand. peculiari signaturâ ab antiqvis Marti nostro sacræ sunt factæ! vultures,(hinc Martiale olim victoriæ omen, ex duodecim vulturum conspectu datum Romulo: vultur etiam martialem prædam, ex immolatione, tépore obsidionis Trojæ, Apollini factâ, abreptam, ad Græcorum navales classes, non sine martiali omine, detulit: mirari & hîc subit, quòd nervi ex vulturis pedibus, sub Lunâ in scorpio exemti, podagricis ac chiragricis adalligati levamen [sicut & ranæ ac testudines] ferãt! anne hoc fit ex similitudine, quia vultur martialis, etiam podagrâ [martiali, ob inflammationes & dolores, qui Martis sunt, morbo; quo tamen & Saturnus ob tarditatem & crassum tartarum gaudet, unde podagrá morbum, Saturnino-martialem dicere possis] laborat!) huc reijcio *damas*, *anseres & grues*: (à quibus excubias [die schiltwachten] ortũ traxisse putes: grues quippe omnia, ad excubias requisita, peragere videntur: clamant, tanqvam quæsituri, *chi è là?* wer da? pedes lapidibus aliqui onerant,

Excubiarũ signatura.

rant, ut ex horum delabſu è ſomno excitentur; dux prævolando clamat, ut ordine ſeqvantur cæteri milites, nunc triangulatim, nunc frontatim (hinc : frontieren) nunc lunatim (hinc : einen halben mohn machen) vel falcatim, nunc cuneatim (mit einem tropp) vel volantes vel ſedentes, pro diversâ ſc. aëris vel hoſtium, aquilarum, cum quibus bellum ſępius ineunt, facie! quin & anſer, cum crocitabundo ſuo clamore. ga, ga, ga, nocturnas ſuas excubias ſ. vigilias prodit : damæ idem faciunt, qui ſuper altiſſima montium cacumina ſtantes, acutiſſimo vicinum aërem ſono ac tono replent: excubias quoque diu noctuque faciunt, ut à quorumcumque hoſtium, venatorum potiſſ. inſidiis, ſecuri fiant :) milites inſuper ſunt martiales *galli gallinacei*, à quibus duella prodiiſſe quis dixerit! gerunt iſti ſuas galeas in capite, jubas in collo, calcaria in pedibus: pugnant invicem acriter, è quo duello victor alter, elato incedit pede, [wie ein gewaltiger Monſieur] elatâ clamat voce, triumphi ſigno: alter victus, humili pede ſecedendo, in humilem ad tempus ſe claudit angulum [verſchlupfft ſich] tanqvam infamis è bello exiẽs! prodeſt qvin alio etiã nomine gallus in bello, ut meri-

diei, mediç noctis vel summi manè, tempora indicet: hinc super militares currus circumvehitur: tribuunt Marti & *cynocephalũ*, qui ad Ægyptiorum horologia depictus fuit, eò quòd non tam circa æquinoctium, duodecies singulis (ridiculú!) horis minxerit, qvàm & extra id, singulis itid. diei horis duodecies latrârit: atque ut reliqva animalia, rapacissima, audacissima, voracissima quæ sunt, Mars sibi vendicat; ita & *è piscibus*, gulosi maximè qui sunt, tenet: inter qvos marinos excellit *cete*, (in cujus visceribus nõ absque miraculo per triduum latuit Jonas, tertio iterum die evomitus, in antitypum sepulturæ & resurrectionis Christi!) inter aquatiles cæteros, Marti debetur *Lucius*, minores pisces devorans: reliqvos taceo! inter lapides; martiales sunt, *magnes*, ferrũ, quod Marti sacrũ est, trahẽs, *hæmatites* (Mars n. ceu sangvine, ita & sangvineis lapidibus gaudet) *amethistus, jaspis, adamas* (cujus pulvis nũ veneni instar sit, dubito: ex hoc quippe Paracelsum obiisse ajebãt discipuli, ne adamantis forsan virtutes mundo patefierent!) è metallis Mars regit *ferrum*, quo ipse & in ferreo utitur bello: ferrum hoc Mars noster est chymicus: cum qvo maximè fixo, etiam plumbum

Pisces.

Lapides.

Vide Boetũ de lapidd. l. 2. p. 61.

Ferrum.

bum & ſtannum, tanqvam magis volatilia, tempore conjunctionis Saturni, Martis, Jovis, coagulari poſſe vidi; id quod inter alia etiam curæ magneticę commodo cedet: debetur Marti & *minerale* nitrum, quod non tam pulveri pyrio, qvàm medicamentis contra inflammationes martiales inſervit: eòd. jure liceat addere martiale ſulphur, quod ſimul & cum Sole participat! In chiromantiâ, mons Martis eſt in medio volæ manûs, ſitus nempe intra Veneris & Lunæ montes: uſum nôrût Chiromantici. Sigillum Martis inſerviit Antiquis in bello antiqvo: novi præſtrenuos Capitaneos, qui idem Marti interſitum, in hodiernis bellis magnâ ſecum fortitudinis [absque ſuperſtitione] laude circumgerant. Tranſmutare ſi qvis velit Martem in Solem: aggrediatur id opus Alchymiſticum ſub Lunâ in leone, horâ Solis: in Lunam, ſub Lunâ in cancris, horâ Lunæ: in Saturnum, ſub Lunæ capricorno, horâ Saturni: Jovem, ſub ſagittario, horâ Jovis: Venerem, ſub tauro, horâ Veneris: in Mercurium, ſub Lunâ in virgine, horâ Mercurij! ita tamen, ut ipſius futuri per transmutationẽ metalli herus cœleſtis, in fortibus ſuis exiſtat ſignis! Sed relicto Marte, veniamus ad Solem.

Nitrum.

Mons Martis.

Sigillum.

Transmutatio.

INTRODUCTIO SOLIS.

IV. SOL. A Marte nunc ad lucidissimum vehor Phœbum, universæ naturæ gaudiũ: ceu enim Sol ille microcosmi, cor nostrum, in medio corporis trunci exsistens, vivifico suo spiritu, reliqvas partes recreat; ita Sol cœlestis, mediam, instar Planetarum regis, in cœlo sedem occupans, universali mundi spiritu totam naturam vegetat, recreat, conservat: ex hoc quippe, ut paucis omnia dicam, ipsa natura omnes suas vires, tanqvam è gazophylacio, haurit! Sol hic annos nobis cõstituit, duodecim signa, 12. mensium spatio; ceu Luna menses, integrum zodiacũ, intra mensem; percurrendo: durãte hoc cursu annuo, duo facit Sol, Kalendariariis maximè nota, æquinoctia primùm; vernale, arietem: (quem, ut dodecatemoriis, ita & mundo dedisse principium, autumant insigniores!) autumnale, libram: solstitia dein; æstivale, cãcrum: hyemale, capricornum, ingrediendo: multò temperatior Marte hic Sol est, cùm temperatè ca- *Solis natura.*

tè calefaciat, temperatè ſiccet! qui qualitatum effectus ex evidentibus rerum tẽporumque vicibus ac mutationibus ſatis ſe produnt: effectus dixi, nec enim, (quod obiter heic eſt, quod moneam:) exiſtimãdũ puto: qvalitates illas elementares ac relollaceas verè ineſſe cœli planetis: quẽadmodum nec verè inſunt Planetis terrę: hos utut utrinq; calidos vel frigidos adpelles: aſtralem tamen aliam, ſpecificam atque occultam in ſe vim alunt, quâ harmonicos, admirandos, ſubque rationis limam haud referendos effectus edant. Saturnus ex leone vel alio ſigno venenato quando peſtem inducit, frigidumne dicas? Sed ſicco heic pede ſilentioq; multa prætereo, quæ, ſi proferrentur, non abs re forent. Redeo ad Solis mei actiones microcosmicas & macrocosmicas: in macrocosmo, vel ventos, vel pluvias excitat, prout vel in aëreis, vel humidis ſignis, cum cõſortibus ſuis currit: in microcoſmo ſubditos alit temperamento temperato calidos & ſiccos: in formâ, ſtatu, actionibus, magnificos, ſplendidos, ſeveros cum grandiloqvio, imperij ſonum edente: hinc aſtrologi de regibus, regum vicariis, conſiliariis, præfectis, aliiſque Solaribus perſonis, judicia formare ſciũt: *Temperamentum.*

ſtatura ſolaris eſt cum capite magno, oculis magnis, facie rotundâ ſubrubeâ, radiis. q. ſolaribus, reſplendente, capillis cum flavedine aliqvâ condecoratis ac extenſis, voce cum raucedine aliqvâ elatâ (quæ authoritatis ſolaris vox eſt!) Soli ejusque ſigno Leoni, in corpore noſtro qvod ſubeſt, primarium eſt, COR, Sol ille & Leo microcoſmicus, è qvo, ceu centro caloris, ſangvis omnis cum ſpiritu vitali, vel etiam, ſi datur, naturali, intra ſua vaſa, arterias & venas (has enim à corde, integro pulſante, prodire, vel ſolius dextræ auriculæ, quæ caput eſt ſ. principium venæ cavæ, αὐτοψία ad oculum monſtrat, utut rationis oculis pauci hũc ortum videre velint!) ad corporis nutritionem (qvæ vera demum per arterioſum fit ſanguinem!) non ſecus, ac à Sole mundano calor ad mundi conſervationem, exit! ſolaria tamen ſunt & alia in corpore; cerebrum, nervi, (communionem cum cordis vaſis habentes!) ventriculus (ob domum Solis Leonem, cujus ſignaturamtenet) latus dextrum, oculus dexter; hunc quippe à Sole in viâ lacteâ, vel cum ſtellis nebuloſis, cõſtituto, ab alterutro maleficorum læſo, lædi, diutinâ Aſtrologorum obſervatione conſtitit,

Partes.

cujus

cujus & aliûs modi multa mihi domi sunt exempla! è *facultatibus* Sol gubernat, vitalem dictam (hanc à naturali non distingvo) s. pulsificam, s. facultatem, sanguinem arteriosum cum spiritibus vitalibus conficiendi, non ad solam vitam, sed ad nutritionem qvoqve! *ex humoribus* item dictum modò sanguinem cordis, cum spiritibus ejusdem: *ex saporibus*, mixtos cum dulcedine: *ex coloribus*, aureum, subrubrum, purpureum; (ad quem solaria chymica ubi reducta fuerint, perfecta putes!) solares præter naturam in corpore sunt morbi cordis syncopales, syncope ipsa, palpitatio cordis, cardialgia, febres (quę non fiũt nisi calore præternaturali in corde accenso) epilepsia item, spasmus, catarrhi, capitis dolores ex caliditate: hinc & qvi diu sub radiis Solis morantur, caput dolent; oculorum morbi, ophtalmia præsertim in oculo dextro, qvem Sol regit: porrò pleuritis lateris dextri, intemperies epatis & ventriculi calida, pustulæ matricis, colica: hos quippe morbos ex Sole, morborum significatore, ratione signorum & adspectuum in sextam cœli domum, morbis dicatam, incidentium, prævidere, ac, si lubet, Astrologicè qvoqve curare licet. Curæ quæ serviunt,

Facultas. *Humor.* *Sapor.* *Color.* *Morbi.*

Vegetabilia serviunt, Solaria sunt; *è vegetabilibus*; Heliotropium, (à Solis versione sic dictum) Flos Solis, qvi ut Solis figuram tenet, ita ad motum qvoqve Solis se inclinat; idem faciunt & herbæ aliæ, unde Solares illas dicere, quis vetet? (ut obiter hoc dicam: herbæ tales, signaturas præbent, omnium horarum hominibus, vertumnosis, inconstantibus, qvi ad cujusqve animi motum se movere didicerunt,) proximum Solare etiam est Hypericon sic dictum q. ὑπὲρ εἰκόνες, super spectra dominium habeat, unde à Paracelso Sol terrestris dicitur, q. phantasmata nocturna fuget, ceu Sol nebulas: idem tribuitur verbenæ. Loti arboris & folia & fructus, Solis figuram præ se ferunt, sicut pisa cordata, signaturam cordis, propterea & ipsa Solarium nomine appellato, cùm cor sub sole sit: præter hæc Sol tenet pœoniam (cujus ut & sequentium qvorumdam flores Solem referunt) chelidoniam, melissophyllon & cardiacam cum foliis melissæ, lithospermon s. milium Solis, à Sole qvod nomen, à calculo signaturam accepit, rorem solis s. rorellam, herbam Allelujah dictam, cujus extrema folia cordis signo notantur, lilia, rosas, gentianam, hederam, mentham, citrariam,

riam, zedoariam, rorem marinum, (Orpheo *Solis Thymiama* dictum) anthoram (cujus radices binæ ut corculi alicujus signaturam tenent, ita & specificum contra napelli venenum præbent Alexipharmacon) laurum (*Soli sacram*) vitem, hinc Στρεπτὸς streptos uva Plinij, ubiq; cum Sole se circumagens) palmam, cedrum, fraxinum, crocum (Solare ac cordiale specificum, in qvo admiratione dignum, qvòd solum per triennium crocum ferens, per seqventes 18. annos absqve stercoratione hordeum, deinceps iterum crocum ferre possit) nardum, mirobalanos, mala cydonia, citria (in qvibus itidem cordis signum datur) garyophyllos, calamum aromaticum, thus, myrrham, mastichem, lignum aloës (summi odoris, ut etiam minutissima ligni particula parum accensa, non tam integrum hypocaustum odore repleat, quàm & caput reficiat: Ligni huius antiquissimam aliquam vidi partem, quæ exactam montis Olivarum figuram retulit!) porrò mel, saccharum (quibus binis pedibus si pharmacopolæ destituerētur, perpetuò claudicarēt:) ambram, moschum, zingiber (quod ventriculi Leonini signaturam refert: hinc conditum

Vid. Lans. consult. pro Britanniâ.

conditum tantum fit ſtomachicũ, qvod à proprietate conſortat!) piper (quoditid. magnam cum ventriculo intus rugoſo habet adfinitatem, hinc tria qvandoqve piperis, velut & maſtichis, grana, manè integro ore deglutita, valdè levant dictum ventriculum!) cinamomum, (cujus tincturæ unica gutta vinum tingit, itidem pro ſtomachi confortatione:) Aſt Solaria ſingula quis referat? Sol enim ceu plura illuſtrat, ita & plura gubernat! Inter animalia, aves, piſces, Sol primum imperium tenet in leonem (ob magnanimitatem: ceu enim Sol Planetarum, ita Leo ferarum Rex eſt, quare & hujus ſignum adſcripſerunt Soli pro domicilio!) arietem, Soli ſacrum: (unde & Aſtronomorũ primi, exaltationi Solis ipſum dicârunt:) lyncem (cujus oculi Sole ſplendidiores: hinc lyncei dicuntur, qvi acuti ſunt viſûs & Ingenij) taurum (animoſum: quem propterea tanqvam armentorum regem, Ægyptij ap. Heliopolin Soli ſacrabant) lupum (qui Apollini & Latonæ ſacrabatur) phœnicem, aquilam (avium reginas) pavonem (ſuperbam avem, Solem q. in caudæ, qvam inſtar rotæ ſuperbiendo expandit, pennis geſtantem: licèt peculiare heic ſit,

Animalia.

qvòd

quòd avis hæc nigros pedes inſpiciens, terrore q. percuſſa, elatã ſtatim deprimat caudam, hinc in ſuperbũ dicimus, er wird den Schwantz bald ſtreichen laſſen! unde ſtatim ſignabuntur ſuperbi, qvi ſi & nigricantis ſuæ naturæ rancorem inſpicerent, animi forſan elati pennas mox demitterẽt: eſt & in medicinâ qvid peculiare, quod è ſtercore pavonis paratur, contra epilepſiam, qvo morbo etiam pavones, ut paſſeres, laborare dicuntur!) regit Sol & gallum (liberalem horarum dominum: cujus criſta ſolis ut radios refert, ita cantus, Solis ortum, occaſum, meridiem, excipit) accipitrem (lucis ap. Ægyptios ſymbolum) vulturem, corvũ, cygnum, (qvem Soli ſacrârunt qvidam, cùm ſvaviter ante obitum canere dicatur: hinc & cygneas ſanctorum, ante obitum quas canunt, cantiones vocant) inter animalcula cæteroquin ſunt quædam, quorum oculi ad Solis motum moventur: fiet obſervatio, ſi talia vitris ad Solem poſitis, appropriato cibo repletis, ut ibi, tãqvam in naturalibus ſuis antris, hæreant, indantur: hæc & alia obſervare debebãt Naturales noſtri, multo forſan rectius acturi, ſi ſpeciales, quàm merè generales, nil ferè aliud, quàm formã, materiã, privationem

Vide Qvercetan.

nem (egregium non entis principium!) tempus, motum, locum, aliaque, nescio quæ, continentes, physicas, scriberent: multò forsan & rectius agerent, si in chymicâ item naturalium anatomiâ occupati essent, ita viderent, quod aliàs non vident; viderent, quantis sæpissimè formarum aliarumque rerum tricis sese intricarent, quæ ut ut à chymico quandoque ipsis extricata ob oculos ponantur, videre tamen nec possunt, nec volunt, quia cæci isti sunt Chymici, Medici, Anatomici: id quod ex eo fundamento fieri arbitror, qvia tam multi (non omnes, sed aliquos puto) in magistrorum verba, quæ cane pejus & angue odisse debebamus, jurârunt: ignoscite patroni & amici magni, prolatę huic sermonis libertati, quam ut extra q. ordinem heic proferrem, jussit VERITAS! quædam item animalcula, noctu instar Solis cujusdam resplendent, qualia è scarabæorum nonnulla sunt genere (speciem aliqvam Germani Johannskäffer / Johannsvögelein / qvòd circa Johan. Bapt. festum circumvolitent, appellant:) insignem etiam splendorem referunt cantharides (non omni forsan ex parte venenatæ, aliâs multi abhorrerent ab earund. exhibitione

tione intra corpus ad ciendam urinam, quam tamen & extrà ad vesicæ regionem appositas movere ajunt, quem effectum alii videre non potuerunt!) quin & *vitulum marinum* meritò quis Solarem diceret, cum fulguri renitatur! Hæc omnia talia sunt, quæ semper majorem requirunt experientiæ fidem! *Venio ad lapides Solares*, in qvib. Sol peculiari modo operatur, quales sunt plurimi aureis q. punctis conspersi, partim cordi confortando dicati, cùm cor sub Solis sit regimine, partim mirandis aliis virtutibus solaribus, alexipharmacorum instar, pollentes; utpote chrysolithus; syncopes, asthmatis, phantasmatum, stultitiæ remedium: Ætites; epilepsiæ ac venenorũ fuga: carbunculus, contra infectiones & carbunculos à proprietate præsidium: hyacinthus, rubinus, corallia, peculiaria cordis conservativa laudabilia, signaturarum quoque ratione, sanguinis adminicula, ea qvæ corallia sola ex collo gestata analogicè præstant, qvo modo & contra phantasmata facere dicuntur: huc refero lapides, iridem (iridis, figuram repræsentantem) heliotropium (à sole item verso sic dictum) pyrophilum (ab amore ignis) pantau-

Lapides Solares.

ram

ram Appollonij, aliâs pantochræ, pantheri, evanthi nominibus adpellatum; quib. miranda præstiterunt Antiqui, virtute à Sole adscitâ! dominium tand. Solis metallicum pollet in Auro, cordiali specifico, qvod ap. Chymicos nomine Solis ut audit, ita reverà Solis terrestris vices inter medicamenta chymica aliaq; omnia obit: Sol hic, si sub Sole exaltato exaltetur, credito & virtutes medicinales exaltatum iri! inest & solaris aliqva sympathia minerali Sulphuri, in qvo *Tinctores* varias quærunt *Tincturas* ad Solem: sed locus heic nullus datur exspatiandi: Antiqui certas imagines Solares, Sole nempe in Leone vel ariete existente, lapidibus nonnullis Solaribus, rubino, adamanti vel lapidi sardio insculptas, contra venena, pestem, alios cardinales morbos, possederunt, quas vires hod. ipsi auro, sub certo Solis positu, non sine magneticâ virtute infundi posse constat: est & Solis in chiromantiâ usus, qui montem suum sub Solari, annulari, studentico (ita vocant) digito, tenet: sed non licet omnia heic exseqvi!

Aurum

Sulphur.

Sigillum.

Mons Solis.

INTRO-

INTRODUCTIO VENERIS.

EX SOLIS CURRU ad amabilem transcendo VENERIS RHEDAM, tanqvam sponsus cum sponsâ, de Veneris naturâ & actionibus amicè collocuturus: ô ergo amica VENUS, quàm fida es SOLIS & MERCURII pedissequa, à quibus nunqvam separari cupiens, eâdem per integrum anni curriculum cum ipsis provehendo portaris lecticâ! quàm fido individuoque, Solem & Mercuriũ tuos, stipas gressu motúqve! hem qvàm tepido tuo in sinu multoties ferri gaudet Mercurius? immò ipsi Phœbo adeò amica es, ut cũ hespero & prosphoro tuo, tam vesperi qvàm manè ipsum phœbeum lectũ illustrare ac ornare perpetuùm velis! sed qvæ tibi natura est, ô VENUS? proh! tam calida, tam humida, tam moderata, ut quæ sub tuo heic sint jugo, omnia de his amicis tecum qualitatibus participent! immò, nì tam calidus tibi esset sinus, tam fervidus focus, tantam non alliceres copiam,

V. VENUS.

Veneris natura.

in ſinu focoqve tuis tàm fervidè foveri gaudentium! quo in fomento ſi unà tecum laboret Luna, ambæ editis mediam quamdam harmoniam, quæ utramqve veſtrûm naturam mixtim clangat! ſed qvid facis, ô Venus? quei huic tam faves? alteri qvei invides? cui faves, naturam indis ad amandum tam habilem, ut tota tuum q. in uno corpore habitum contraxiſſe, totumque vivæ tuæ imaginis faciem referre videatur: cui invides, naturam indis ad amandum ita inhabilem, ut tota, tui loco, Saturni habitum illuc introduxiſſe videaris: ita nempe, tua, ſicut fortunæ, ſtat felicitas: quæ quei ſtet cadatve, non tecum amplius, ô præclara Venus! videor enim indecori inſtar Saturni tecum eſſe: ſed cum Venereis tuis, queîs intereſt, porrò nunc conferam: licitus eſto hic receſſus! audite, quæſo, quibus vel placebunt, vel diſplicebunt, quæ referam: videtur primum Venus noſtra duplicem in *Temperamentis* ſuſtinere fortunam, dum nnnc ſanguineis, nunc phlegmaticis, vel conjunctim ſanguineo-phlegmaticis favet, qvod forſan ex naturâ Veneris partim calidâ, humidâ; partim frigidâ quadantenus, ob Lunæ conſenſum, humidâqve proveniet: duplex

Temperamentum.

plex iterum fortuna Venerem heic nostram regere cernitur, ceu Jovem rexisse vidimus; Venereæ siqvid. actiones cum Jovialibus in multis conspirant, præterqvàm qvòd impensius à Venere accendatur amoris incendium, acutius emittatur telum, qvò pertinet omnia, quæ ad amorem conciliandum faciunt, de quibus non opus est disseram, cùm non ignorent haud pauci! adflatur tamen & heic Veneri mobilis iste fortunæ ventus, qui suprà Jovem, fidelem Veneris patronum, adflavit, immò qvi omnibus Planetis mutabili rotâ advehi solet: illi quippe fortes, fortius agunt in indicandis actionibus: debiles debilius, in bonis vel malis: sic nempe Venus bene habens; facit promtos ad exercendam bonitatem, misericordiam, pacem, in quib. cum Jove concordat: pronos vicissim ad elegantias varias in vestitu, incessu, moribus, studiis, amore (cui Venus præsertim in Leone favet, ubi facit amatores, vel ut nostrates vocant *cochleatores*, Löffeler! sed, queî fit, qvòd nō inter omnes omnis heic tibi placeat Venus, sed certa saltem? dic: certam tibi cum hâc vel illâ vel alterâ, cum quâ unam forsan habeas genealogiam cœlestem, inesse sympathiam: *Actiones.*

dicas item, ſympathiam hanc à Jove (quem eandem ſæpiſſ. cum Venere, & contrà Venerem cum illo, fortunam pati antè dixi,:) in conjugij forſan domo cum Venere ubi reperiatur, provenire, unde eligere Joviali ſanè judicio tibi poſſis;

Hanc volo, quæ non vult, illam, quæ vult, ego nolo,
Vincere vult animos non ſatiare Venus!
Oblatas ſperno illecebras, detrecto negatas,
Nec ſatiare animũ, nec cruciare volo.
Callida ſed mediæ Veneris mihi venditet artem
Fœmina quæ jũgat, qvod volo-nolo vocet!

Atqve hæc mediæ ſympathiæ, Jovis Venerisqve filiæ, eſt elegantia! ſpondet eamd. in muſicâ, Venus in ſignis potiſſ. igneis vel aëreis cum Marte reperta, nec elegantem tantùm muſicam, ſed & inde ortum amorem juxta illud:

Si tibi formoſam vis conciliare puellam.
Tãge chelyn digitis mox favet illa tibi!

Virginibus nempe à naturâ ineſſe credo, ut ad teſtudinis ſonum clam tripudient; hinc inter Academicas vix reperias ullã quæ non confiteatur: Wann ſie nur einen Lauthenklang höre/ſo ſpringe jhr das Hertz im Leibe

Leibe! quod gaudiũ, nõ nisi à Venere, uno eodemque dono & musicam & amorem & calicem largiente: unde rarò invenias Musicum, qui non sit vel amator vel potator, quo nomine utrumque hoc dicere licebit:

Cantores amant humores:
&
Cantores amant amores.

Gaudet porrò Venus choreis, conviviis, nuptiis, muliebribus ornamentis, artificiis, aliis aliarum rerum delitiis: atqve hæc Veneris fortuna est! *è contrà* (qvod Veneris esto infortunium!) malè habens nostra Venus, in signis nempe deformibus, delicatis, spurcis, à malâ fortunâ utrinq; depressa, facit prioribus contraria: ac qvę ibi fuêre bona, honesta, decora, heic erunt improba, inhonesta, turpia! hinc surgent, spurcus amor Veneris, spurcus amandi mos, habitus deformis ac meretricius, præs. ap. fæminas, quarum officialia nomina in IX. ut frictrix, meretrix, desinunt: hinc evadunt Medullinæ istæ, omnibus probris notæ: hinc cum ὀχίσβῳ frictrices & crissatrices illæ mulieres, quarum crissare est; ut cevere virorum: unde & cevetes molles ac obscœ- *apud Iuve nalem.*

ni fuere adpellati! Surgent inde; impatientia laborum, quâ plerumque laborare solent puellæ, libentius in foro (forsan & thoro) qvàm domo ejusve culinâ versantes (Tretscherin / die da nicht still können sitzen) præterea muliebris timiditas, muliebris item levitas, quam graphicè ita depingit Poëta quicunq sit: (Scaliger ante Ausonii vitam meminit Ciceronis: Lâsius Orat. pro Gall. p. mihi 183. Eumolphi seu potius Porphyrij.)

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
Namque est fœmineâ tutior unda fide.
Fœmina nulla bona est; vel si quæ contigit ulla,
Nescio, quo fato, res mala facta bona!

Nec tam levitas oritur, quàm prodigiosa & incredibilis libido, quæ itidem quàm graphicè depingitur hunc in modum alibi.

Iuvenal,

Tunc prurigo moræ impatiens, tunc fœmina simplex,
Et pariter toto repetitur clamor ab antro,
Iam fas est? admitte viros, dormitat adulter?
Illa jubet sumto juvenem properare cucullo:

Si nihil

Si nihil est, servis incurritur, abstuleris spem:
Servorum veniet conductus aquarius; hic si
Quæritur, & desunt homines, mora nulla per ipsam,
Quò minus imposito clunem submittat asello!

Hæc inquam prodigiosa & incredibilis est amoris libido, à maleficâ Venere prodiens, quam ultra-Alpinis maximè fœminis inesse ubi dixeris, haud falsum forsan dixeris; unde ob nefanda & hæc & ista & alia opprobria quandoqve solitus sum dicere: Regionem istam esse paradisum terrestrem, quem inhabitet serpens decipiens Adamos, uno verbo, Diabolus! sed redeo ad strictam viam: surgent præterea ex Veneris infortunio, bina hæc: fæminea sc. morum dispositio (quæ est ap. semi viros, semi-masculos, semi-fæminas bey den Jungfrawknechten / Weiberhännen) & zelotypia, qvam dum dicis, vitam cornuticam dicis, qvam vivat, Italicus aliqvis *Becco*! hæc de utrâqve Veneris fortunâ, in communi vitâ sufficiât: licet quoque ex Veneris in cœlo positu, plura judicare, de corporis nutritione, formâ, staturâ: quæ singula melioris no- *Accidentia corporis.*

tæ ſunt, ſi ipſa Venus in horoſcopo præſ. inveniatur felix cum Jove aut Luminaribus, libera à maleficis: hinc felix æſtimatur vitæ ſtatus, pulcher ac verè fæmineus corporis habitus (hinc de pulchro juvene quandoqve dicimus: Er iſt eine rechte Jungfraw!) cum eleganti morum concinnitate, concinnâ eorumd. diſpoſitione, cum oculis ſubnigris (Schwartzbraun) capillis ſubcriſpis, cruribus ac ſuris ſubcraſſis, mediocriter carneis (fein bratzelecht)! Atq; hæc Medicum ſcire etiam intereſt, dum modò (ut alea taceam) Venereis, fæmineis, delicatis perſonis (quarum delitias etiam absqve relatione ex cœleſti figurâ cognoſcere poterit) delicata quoque acq. nutrimentoſa medicaméta prçſcribenda eſſe conſtiterit: nec abs re heic foret aſtralis ſuſcepta cura cum iis, qui per veneficiũ vel aliunde Veneris impotentiâ laborant: nec inutile fuerit, amore laborantibus, amatoriumque, quem vocant, pulſum patientibus (quorum duo Galenus ſubminiſtrat exempla, licèt diſtinctum ab aliis pulſum vix exiſtimem!) contraria adhibere remedia ſub contrario Veneris ſitu: nec impoſſibile fore puto, diſcordiam inter amantes, atque ex amore laborantes, ſub

diſcordi

diſcordi Planetarum amantium, adſpectu excitari poſſe, ſub qvo etiam utriusq; amantis emiſſus ſanguis, chymico artificio vix vel ægrè unietur, in qvo ſangvine (ita puto) non minima curæ portio latet: unde licebit mihi forſan dicere: occultis morbis occulta convenire remedia, aſtralibus aſtralia, magneticis magnetica! ſed latiora iſthæc ſunt, quàm quæ diſpandi heic qveant: non aviculæ, ſed magni leonis pelle heic opus! *Redeo ad conſuetum ordinem*: Amorum iſta domina Venus, *partes in microcosmo*, *amori* item deſtinatas, ſub ſe complectitur: epar nēpe & renes, à quibus (nec n. renes, ſoli ſero expurgando dicatos eſſe credo) ſangvis & conficitur & præparatur, ad ſeminis generationem; teſtes, horumque confectum ſemen, pudenda, matricem, adipē, nates, mammillas, quidnî adderem & cor? (non tam, quòd copioſos per arterias emulgentes & ſpermaticas, ſangvinis ſpiritus, in generationis adminiculum, ſubminiſtret; quàm quòd & ipſa Venus amantium corda obſidere dicatur: unde vulgi amor clamat: Venus hat mir mein Hertz beſeſſen: dicitur & Venus die völlige hertzverwalterin!) atque ita ſe res habet cum Venere ſecundùm naturam: quæ *Partes.*

ubi in morborum domo, vel alibi, juxta Aſtrologorum doctrinam, (quam heic meam non facio) morborum ſignificatrix exiſtens, malè affecta fuerit. procreabuntur pulchra ſanè prædictarũ partium mala præter naturam: Gonorrhœa nempe, (qvâ multi prorſus occubuére) Satyriaſis, Priapiſmus, fluxus ep icus, lienteria, intemperies epatis & ventriculi frigida ex nimio Veneris uſu, Venus imaginaria, impotentia coitûs, ex eoque ſterilitas (quam Venus retrograda in ſignis ſterilibus quintæ liberorum, vel ſeptimæ conjugij, à Saturno aut Marte ex ſignis quoque ſiccis læſa, introducere ſolet, cõſentientibus tamen & cæteris Planetis ad malum ex ſiccitate ortum) lues venerea (Italiæ ferè endemia; indicio, Venerem ibi ultra modum dominari!) amor inſanus ex philtris, (die raſende Liebe) amor nimius (die hertzbrechende Liebskranckheit) vomicæ ac fiſtulæ in pudendis, aliæ paſſiones venereæ, quibus quandoque exſtirpandis aſtralem ſæpiſſimè curam adhibendam eſſe modò dixi: neſcio an bene; ſed forſan & bene! nunc quodnam in ſublunaria nonnulla Venus imperium teneat, breviori pertexam filo: lubet mihi in genere omnia illa ſub Venerem revocare,

Morbi.

care, ad Venerem quæ præbent stimulos: hinc Venerea sunto; Satyria (quorum alter bulbus, siccus, sterilis, saturninus; alter humidus, fœcundus, Venereus est) fabæ, (manifestam pudendi muliebris figuram tenentes: unde & à Scotis *Boon* dicitur) pisa vulgaria & cordata, boletus cervinus, aron, antirrhini cujusdam flores, Germ. Kälbermeuler, (quibus itid. utriusque sexûs pudendorum manifesta inhærent vestigia) fructus pini, & quercûs (glandes virorum referentes) ciceres, olivæ, uvarum acini (hinc Venus absque Baccho frigere dicitur, uvæ n. & acini simul & Venerem & Bacchum notât) hieracium, cichorium, (quæ duo inanita, fistulam penis significant) carduus fullonum, qui & labrum Veneris dicitur (ist die meiste zeit naß zwischen den Blättern) portulaca, quæ renes; nymphæa, quæ secundinas; leontopetalon, macis, cyclaminus, aristolochia rotunda, betula, sabina, mala punica (Poëtarum figmentis à Venere in Cypro primùm sata) quæ singula uterum signant! huc pertinent capilli & umbilicus Veneris (expresso Veneris nomine ita dictæ herbæ) musci varij (crinium signaturis insigniti) violæ, rosæ, verbena, valeriana, coriandrum, pira ac

Vegetabilia.

ra ac poma dulcia, item poma amoris: ficus, moschus, ambra, ladanum, storax, santalum, zingiber, piper (venereorum ciborum condimenta) & morchelli dicti (spongiarum terrestrium genus: vulgò Morcheln) quæ tria lautas veneri obferunt dapes: myrtus, hinc cum appendice etiam myrtus Veneris dicitur! Venus insuper animalibus delectatur salacibus obque id Venereis dictis: *hirco* sc. qui etiam septimo ab ortu die coire cupit: *tauro*, quem præsectis testibus coivisse & generasse scripsit Aristoteles (sed ultra id, qvod in vesicularum seminariarum penu habuit, nil potuit) *eqvo*, (libidinosissimo ad Venerem animali [Hengst] qvòd visâ matre [Stude / Mutterpferdt] statim hinniat: hinc & *eqvi libido Darium, Regem fecisse fertur!*) *elephanto*, (qui qvotannis amoris morbo laborat: adeò, ut non tã vinculis coërcere ipsum, qvàm [quod mirandum] verborum pharmaco curare oporteat incolas) *canibus*, (qui secundùm connexi nec lapidum plagis à se invicem absistunt, quanquam & masculi ob glandium prurientium tumorem difficulter exire qveant: similes forsan hoc in casu isti, qui à Venere abstinere noluit, ut ut vel integram Rempubl. [ein gantze Ge-

Animalia.

moin] procrearet, hic fortem dubio procul nactus est Veneris positum!) *cuniculis*, (qvos cum leporibus fæcūdissimos, duodecies etiam intra annum concipere ac parere dicunt:) *catellis & catulis* (adulatoriis suis caudis, hominibus q. adblandientes) *ovibus, capris, passeribus & gallis* (quorum ultimorū cerebella & testiculi fortiter pellunt Venerem, signaturâ ab animalibus ipsis nimium quantum venereis, quorum partes fuerant, desumtâ: exstat hinc historia de Nobili, qvotidie tali cibo vescente, unde in extremo gradu venereus factus est!) *gaudet insuper Venus tanqvam sibi sacris, corvo, palumbo* (avium castissimâ, quæ vel prius discerpi, qvàm impudicè vivere mavult) *columbâ* (quæ maris sui adeò est amans, ut semp osculo ipsum, anteqvam admittat, excipiat, columbo illi suo tam fida & obsequiosa, ut patiens, alis percussa, ad ova properet, alienum non admittat, conjugis etiam obitum lugens: unde signatura præbetur amori conjugali) *turture* (unde turtur, in purificatione partûs obferebatur, ceu passer in purificatione lepræ!) *huc refero aqvilam* Ægyptiorum Venerem; hanc n. vel vigesies in die maris accursum pati ajunt: item *motacillam, cygnum*, cui cum *hirundine*

hirundine maxima inest φιλοςοργία venerea, ob miram educationem fœtûs: omitto aves alias, qvas venereas esse nemo non videt: hinc pictores, Veneris delitias delineaturi, pingunt venatorem cum avibus, lepore, vulpe, ovis & piscibus, ad Veneris figuram se inclinantem! *inest enim & piscibus sua salacitas*: de quorum salacissimo scaro fertur, qvòd

Virgil. *----mites inter pisces, clamore tremendo*
Intonet, & solus palletes ruminet herbas!

similis naturæ est sargus marinus, etiam extra sexum suum amans, de quo Poëta:

Oppian. *Invadit sargos caprarum mira libido,*
Qui madidi simas cupiunt tractare capellas,
Montanis gregibus quamvis tota agmina ponti!

salax itē hæret natura in *luciis & fundulis*, Hechten vnd Gründelen, lautissimum Veneri cibum præbentibus: item in *cancris, testudinibus*; eād. naturā & *ostreis* suis summo in gradu inesse sat nōrūt, ad mare qui habitāt, quibus quotidiano ferè sunt usui; hinc obiter & Venetos à Venere accepisse nomen, autumant multi; nec immeritò. delitias ubi inspexeris! [licet aliâs Italo sermone *Venetia* dicatur *q. venite qvà*, tanqvam ad locum tutum!] obiter tamen

men heic addo: retinere sibi marinos illos homines, peculiares suas *ostreas* delicatissimas, ovorum magnitudine in patinis cum oleo, pipere & zingibere, adpositas, quas crudas, ad exteras regiones, (quibus sportulas saltem non invident,) deportari certo edicto prohibent: sed bene faciunt, ne cum ostreis, simul Veneris mittant libidinem! unde non possum, quin apposité forsan heic addam, quid vel olim, non juvenis ille, sed senex Poëta, de talium ostrearum [ostreorum; nil interest] esu, indeque expullulantibus Veneris delitiis, senserit, quo in sensu tàm graphicè depinxit istos ὀστρεοφάγους [ostrearum *absorbtores*, non n. edunt, sed sorbent!] ut in solos istos direxisse jures, quæ ita cecinit:

Nullum crimen abest, facinúsque libidinis, ex qvo *Iuvenal.*
Paupertas Romana perIt ----

Et paullò post; ---- *Quid enim Venus ebria curat?*
Ingvinis & capitis, quæ sint discrimina nescit:
Grandia qvæ mediis jam noctibus Ostrea *mordet,*
Cùm perfusa mero spumant ungventa falerno,

Cùm

Cùm bibitur conchâ, cùm jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis:
I nunc & dubita, qvâ sorbeat aëra sannâ
Tullia, qvid dicat notæ Collatia Mauræ,
Maura pudicitiam veterem dum præterit aram.
Noctibus heic ponunt lecticas, micturiunt hîc,
Effigiemqúe Deæ lõgis Siphonibus implẽt,
Inqúe vices eqvitant, & Lunâ teste moventur:
Inqúe domos abeunt: Tu calcas luce reversâ
Conjugis urinam magnos visurus amicos!

heic qvæ non dicuntur de fœnore ex luxurie contracto? de *ostreis* illis grandibus, ad Venerem miris modis instigantibus? de vino Falerno ex conchis Italicis bibito? de ebrietate mulierum? de lecticis? adderet quis forsan & *gondulas*, qvibus puteanæ, putidæ & putridæ illæ meretrices, ad consueta loca per *Veneris spumas* vehuntur? de Veneris laboribus sub Lunâ, sub qvâ nemo suorum facinorum testem vel consciũ habere cẽsetur, exercitis? de maritis, uxorum suarum meritriciarum urinas, prẹteritis noctibus post libidi-

bidinē redditas, pedibus manè prætereū-do calcantibus? Et quæ non alia hinc cō-jici poterūt, quæ omnia à libidinosâ pro-deunt Venere? Dixi nunc, (Patroni sin-guli) qvi sint homines Venerei, quæ ani-malia, quæ plantæ, qui cibi *ostreati* s. deli-cati, non tam Veneri dicati, qvàm ad Ve-nerem præbentes stimulum: sed unum, permittite, addam; qvei fit qvòd etiam plures si non plurimi, ex Ant[i] qvis nostris sacra litârint Veneri, *absq; talibus cibis?* (dann die Alten haben wol solche *delicat* biß-lein nicht gehabt!) dicendúmne, astra, in-terque ista VENEREM, occultum ipsis amorem, occultâ amoris aurâ, inspirâsse? Tibullo, ominor, hæc mens fuit qvando cecinit:

ô valeant fruges: ne sint modò rure puellæ, Tibull.
Glans alat, & prisco more bibantur aqvæ!
Glans aluit veteres, & paßim semper a-mârunt,
Quid nocuit, sulcos non habuisse satos?
Tum qvibus adspirabat AMOR, præbe-bat apertè
Mitis in umbrosâ gaudia valle VE-NUS!

sed sat verborum heic feci! videndū quid inter *lapides* & metalla regat Venus? è *la-* Lapides.

pidibus, *Venus* in regnum ſuum adſciſcit *perlas* (quarum integram partem, in mari repertam, olivarum montis idéam exactè repræſentantem, hodie cum miraculo q. monſtrant in theſauro ſuo Veneti!) *corallia* (bina Veneris noſtræ ornamenta, muliebribus item affectibus accommodatiſſima) *jaſpidem viridem*, aliosque virides lapides, *ſmaragdum, berillum, corneolos!* è metallis regit *cuprum*, qvod *Veneris* nomine inſigniunt chymici: hinc & cuprea dicitur Venus! licebit tibi ſub fortitudine Veneris, in tauro ſc. vel librâ vel piſcibus poſitæ, in bonis Jovis alio-rumqve aſpectibus, ex cupro, ejusqve vitriolo (qvod vitriolum Veneris dicimus, nec vitriolo communi vilius eſt, quod in ſcripto germanico putat qvidam empyricus,) certa præparare medicamenta! ſed brevitatis ſtudio hæc linqvere oportet! Chiromanticus mons Veneris eſt in muſculo ſub pollice: forſan hinc ita pollice premimus, qvos amamus? premimus ita, dando conſenſum? Antiqvis ſat noti fuére modi, imagines venereas, Venere in piſcibus vel tauro exiſtẽte, lapidibus qvibuſdam venereis, lazuli ſc. & ſmaragdo, inſculpendi, quibus ad pulchritudinem, benevolentiam, amorẽ, uſi

Metallum Veneris.

Mons Veneris.

Sigillum Veneris.

usi fuêre: ex Theophrasto, in propriâ Venere cum propriâ imagine, propriis numeris (qvi item ad reliqva requiruntur) adornatum, litium recôciliationi amicitiæque de novo contractæ profuisse, novi: qvod non aliunde, qvàm à magneticâ vi occultâ ab astro impressâ, provenire putandum: sed Plato heic jubet quiescere! Interim si de transmutatione quid tibi placeat, placeatque cœli observatio: observes in transmutandâ Venere in Solem; Lunæ positum in leone, horamqve Solis: in Lunam terrestrem, Lunę cœlestis positum in cancris, horam Lunæ: in Saturnum; Lunam in aqvario, horamque Saturni: in Jovem; Lunæ signum in sagittario, horam Jovis: in Mercurium, Lunæ positum in Virgine, horam a. Mercurij: tantum item brevi de transmutatione Cupri metallicâ juxta cœli positum. *Transmutatio.*

INTRODUCTIO MERCURII.

PRopero ad Mercurium versatilis naturæ planetam, inter Venerem & Lunam medium; hic itidem cum Sole ac *VI. MERCVRIVS. ejusque po-*

situs ac motus.

Venere, à qvibus ceu fidus ſervus nunquam abeſſe cupit, (unde ridendus, qvi aliqvando dicebat; Mercurium mediâ nocte in medio cœli fuiſſe viſum, & videri poſſe!) continuo circum volvitur anni motu: in græco dicitur Ἑρμῆς Hermes ab ἑρμηνεύω interpretor: habitus enim fuit Mercurius q. Deorum nuncius & interpres: libet hoc in præſentiarum accommodare ad ingenia, q. Mercurius interpres ſit ingeniorum! nam non inconſultè ab aſtrologis ingeniorum ille conſtitutus eſt dominus; cùm ingenia ita ſint volatilia, ceu Mercurius ſervus eſt volatilis, unde humeros ſimul ac pedes depingitur alatus, tenens tamen ſerpentem, inconſtantiæ juxtà ac ſcientiæ notâ! cùm igitur inter homines tot ferè ſint capita, qvot pilei, imò qvot pili, Mercurius quoqve noſter pileoſus & piloſus talis ſit ſervus, ingeniorum certè mutabilitas aptiùs adſcribi potuit nulli, qvàm ipſi, quem omnium ferè, qveîs jungitur, Planetarum naturam adſumere, inque eorũdem intenta conſpirare, experientiâ aſtrologicâ conſtat: hinc nullum certi temperamẽti genus ipſi adſcribere licet: liceta. ex Planetæ vel corpore, vel radio, vel ſigno, quibus junctus occupatur: hinc

Dominus ingenij.

Temperamentum varium.

cum

cum Saturno melancholiam, cum Jove ſangvinem, cum Marte choleram, cum Lunâ phlegma, auget: unde mixtarum craſεων eſt Dominus, ſicut & mixtorum humorum, mixtorum ſaporũ, mixtorum colorum: ſumma: omnium horarum Dominus eſt Mercurius ille, ſicut & hermeticus! magnam is nihilominus cum Lunâ iniit amicitiam, cum qvâ ſi bene habitet, beneficus inter rationem & ſenſus fit cõſenſus; ſicut n. Mercurius rationi & potentiis principibus ſ. ſuperioribus: ita Luna ſenſibus, appetitui, potentiis inferioribus, præficitur ab aſtrologis: qvos ita cautos fecit experientia, quæ docuit; Mercurium Lunâ fortiorem, ſignificare prædominium rationis appetitum frænantis: è contrà Lunam Mercurio fortiorem, palmã præbere appetitui, rationem ſuperanti! hinc talis quibus eſt poſitus, vel aliis bene, ſibi malè: vel aliis malè, ſibi bene conſulunt! Mercurium, porrò docuit, conjunctione, ſextili, trigono cum Lunâ, præſertim in trigonis, igneo vel aëreo, conjunctum, vel etiam à Lunâ ex domo aut exaltatione receptum, felicia reddidiſſe ingenia, eaque eò feliciora, qvò felicioribus adſpectibus ſeſe adplicaverint *Jupiter & Venus*! Felicem talem Mercu-

Concordia vel diſcordia inter rationem ac ſenſum.

Ingenia mercurialia.

Nicasius Brabantus felicis Mercurij.

rium dubio procul ſortitus eſt Nicaſius ille Brabantus; qui tertio ætatis anno cœcus factus, auditu ſolo tantum in ſcientiis & artibus profecit, ut non ſolùm artium magiſter, ſed & Theologiæ Licentiatus ac ſacerdos, immò poſtremâ vice, Jurium etiam Doctor & extraordinarius Coloniæ, ubi varios libros edidit, Profeſſor creatus fuerit? ô lucidum cœci hominis ingenium! proh! quantum alij, qvos heic referre ſuperſedeo, profecére, qui omnes feliciſſimum, ad ingenium, Mercurij nacti fuére poſitum, quem per domeſtica exempla monſtrare poſſum! Licèt econtrà Mercurius detrimentoſus vel cadens, in piſcibus potiſſimum, in qvadrato vel oppoſitione Lunæ, ſtupidos, vagabundos inconſtátes (Schwindelhirn/Windtköpff) reddat, qui ut-ut in ſtudiis laborent, nil tamen proficiunt; nullâ propter id Mercurij ſtatuâ digni, quæ ipſis poſt mortem forſan ſuper fores erigatur! mos ſiqvid. ille *Athenis* fuit, ut qui bene de Republ. fuiſſent meriti, illis, non unica ſaltem, ſed binæ vel ternæ *Mercurij ſtatuæ* darentur, ubi ſolum caput (tanquam ingenij domicilium) è marmore reſplenduit, reliqvo corpore rudi: atque ita ſuper bene meritorum fores fuére diſpoſitæ Mercu-

Ingenia Vagabunda.

riales

riales ſtatuæ! has, inqvam, & hodie (quas plures in Italiâ ac alibi cernere licet!) merentur priores noſtri quicunque ſint, laudati ingenij, Nicaſij, mera Mercurij capita! non merentur poſteriores iſti trunci, ſtupidi, ignavi, ignorantiæ fratres, majorum ſaltem ſuorum facta, neqvibus ſua ingeniorum ſues addere neſciunt, crepidãtes, (audite pompas, bombos! das hat mein Altvatter/mein Vatter gethan! was haſt aber du Enckel/ du Sohn gethan? *adde bonum recto*!) qvos vel ideò, tanqvam ignavum pecus, dictis lapideis Mercurij truncis, ab Athenienſibus primùm olim erectis, comparat Poëta, cum ignavo Cecropide loqvens:

-------- at Tu
Non niſi Cecropides: truncoq; ſimillimus Hermæ: *Iuvenal.*
Nullo qvippe alio vincis diſcrimine: qvàm qvòd
Illi marmoreũ caput eſt; tua vivit Imago!

Hæc de Mercurio ingeniorum univerſali: de particulari pauca! qvoad certa igitur ſtudia; Mercurium cum Marte vel Jove in ſextâ, non procul abſente capite aut caudâ draconis: vel etiam Mercuriũ ſolum à Marte receptum; feliciſſimos feciſſe Medicos, multis mihi exemplis cõ- *Studia mercurialia.*

ſtat: ad Chymiam laboresque circa ignẽ, vel omnes illi inclinant, quibus Mercurius cum Marte aut Venere, vel etiã quibus major Planetarum pars in trigonis igneo, aëreóve, fuerit: ita iterum ex thematibus novi. Jurisprudentiæ delectantur ſtudio, quibus Mercurius cum Jove aut Marte fuerit in ſagittario vel piſcibus, tanqvam ſignis jovialibus ac religioſis: (ſic jovialia ad jus faciẽtia ab Antiqvis fuére adpellata!) ſi licet quid addere, dicam, ad Theologicum quoque adſpirare ſtudium, quibus Mercurius, Saturnum ac Jovem junctos vel corpore vel radio, bene adſpexerit: ſic in B. Lutheri noſtri Geneſi reperta fuit conjunctio Saturni & Jovis in ſcorpio: novi alios excellentes Theologos, in qvorum thematibus, dictam hanc Saturni Jovisque conjunctionem, cum bono Mercurij teſtimonio, reperij: nolo tamen vel Theologiam, vel alia ſtudia ex aſtris omninò trahere, cùm peculiaria hæc ſint Dei dona, quibus ſi ſacrum illud Flamen non bene adſpiret, omnis ingenij perit labor: dico ſaltem id, quod, *Deum per media quandoque aſtra agere*, experientia fida collegit; unde vel ſolo hoc nomine nemini forſan viam facilem oſtendero ad offendiculum, quod

malum

malum à me prohibeſſit Deus! Philoſophi, qui ex temperamentis (aliquo modo) deducunt ingenia, temperamenta autem à cœlo ſuam quoque temperiem (ſaltem aliqvam) trahere mihi credent, prement ſimul hoc forſan in negotio mihi pollicem! Non ergò dicam nunc porrò de cæteris artibus, vel liberalibus, vel illiberalibus, ad qvas (Aſtrologorum judicio) incitamenta præbere ſolet Mercurius: niſi forſan dicere velim: Mercurium (& Venerem) in tauro facere Poëtas: in capricorno mathematicos: in geminis (cui ſigno Noriberga ſubjacet) mercatores & negotiatores alios, quibus lucroſa iſta *ſaliva Mercurialis* in faucibus hæret; lucrum quippe inſtar edulij lautioris cum ſalivâ deglutiũt: unde & Plautus (initio Amphitruonis) *Mercurium à mercibus* deducit: hinc mercuriales ſunt & peregrinatores, non tam lucrum ex mercaturis, qvàm ſtudiis capturi: ultrà jam non progredior: quod dixi indicâſſe ſaltem, non deduxiſſe ſufficiat: microcoſmi *partes* quod attinet, (utut in tẽperamentis incertus fuerit, tamen) certam tenet heic lingvam, Mercurius, qvam balbutientem (lißpelendt ſchnarrendt) reddit, ſi juxta Solem combuſtus, à Saturni

Ingenium qvatenus ex cœlo.

Partes microcosmi mercuriales.

conjunctione qvadrato vel oppoſitione, detrimentum capiat: tenet item pulmones, tanqvam ad vocem edendam neceſſarios: rurſus cerebrum, (eſt n. Mercurius ingeniorum in cerebro habitantium præſes, unde de litterato dicimus: Er hat ein gutes Hirn, vel per ſynecdoch. totius, Er hat ein Stattlichen Kopff!) in cujus integrâ ſubſtantiâ, non in ventriculis, excrementorum receptaculis, ſpiritus animales, ad ingenij actiones edendas neceſſarii, generantur: tenet præter id nervos, motui mercuriali dicatos: ſi lubet, addas & cætera ſenſuum organa: item fel, oſſa, crura: dicta omnia læduntur, Mercurio Domino Horoſcopi, ſextę vel octavæ, læſo à maleficis in ſignis convenientibus, accedentibus potiſſ. quadrato vel

Morbi. oppoſitione Lunæ: unde accedunt deliria varia, mania, lethargus, (epilepſia, apoplexia) catarrhi, gravedo à tuſſi, lingvæ impedimenta varia, raucedo, balbuties, immurmuratio; item obſtructiones pulmonum, fellis: vomitus varij, (præcipuè phlegmatici ſputi, cui præeſt Mercurius, in vomitu a. & lingvã ſuum facere officiũ oportet, hinc *vomere* eſt vber die Züg werffen:) his tutior medebitur cura, quando Mercurius extra infelicem illum fuerit

poſitum,

positum, quo mala modò dicta indicavit: qvam felicitatem experientię reservatam volo: ex vegetabilibus Mercurio tribuũtur; mercurialis, Mercurij q. nomine dicta herba, chamęmelũ, (in clysterib. ambae laudatissimae) nyctimeron, (herba sub conjunctione Mercurij ac Lunae collecta, ad ignes non tam microcosmicos, quàm macrocosmico-technicos extingvendos utilis) bellides (ad arthritidem) trifoliorum genera, (in quibus recondita est serpentum fuga, hinc ob trifolij copiam ab Insulâ Malthâ recessit serpens:) quare & herba allelujah huc pertinet; serpentaria, pulmonaria, majorana, anisum, anethũ, fumaria, pimpinella, petroselinũ, pentaphyllon, aliaeq; minutiorum foliorum aut florum diversorumque colorum herbae: ad Mercurium quoq; spectant fabae, (flatulentae: flatus autem sunt Mercuriales) cubebae, juniperus, (Mercurialem medicinam praebens asthmati, tussi, hydropi, colicae, podagrae, scabiei, &c.) corylus (sciuri Mercurialis amor) sambucus (cujus ol. est antipodagricum) juglans (cujus juli, die Nußbaumkätzlin/ Mercuriali vi vermes pellunt: cortex radicis cum nuce viridi vomitum ciet: succus, Mercurii faucibus utilis.) Porrò quia Mercu-

Vegetabil.

Animalia Mercurialia. Mercurius ſagaces reddit homines, ideò & ſagacia animalia, hujus imperio ſubdimus: *Canes* nempe (in quibus, ſi in ullis aliis, rationis certè aliqua mica emicat; alioqui tot artium ſimiæ non fierent: annon enim mirandum eſt, iſtos per aliquot milliaria ſequi odorata veſtigia herorum, eosque peregrè adventantes odorare, à procul item adferre ſtudio recondita, alia facere, ob quæ non immeritò laudati ſunt à tot Doctis!) *vulpes*, *ſimias* (quæ varias hominum actiones, ſubitò quoq; apprehenſas, ſimulant, pulſuum quoque rationem invenerunt, unde cum pſittaco & elephante docilem accepere naturam: cui prorſus contraria invaſit aſinos & arietes: hinc felicia, infelicia, ingenia ſignaturas capient!) porrò *muſtelas*, *cervos* (qui ſagittis percuſſi ad dipramnum properant) *capreas ſylveſtres* (quæ cum rubo ideo debilem juvant viſum) *urſos* (qui viſu labefactati apium alveos conturbant, ut ex earum punctione leventur) *elephantes* (& vocis & ſermonis intellectu pollentes: unde Oppianus:

Canes.

Simiæ.

Cervi.

Urſi.

Elephãtes.

Fama eſt inter ſe ſermocinari elephantos,
Diſtinctasq; ſuſurrare atq; emittere voces.

Conſtat id exemplo iſtius *elephanti*, qui propè

propè *Cochin*, novæ orientalis Indiæ urbem, ex Liburnicæ ad marinum portum deductione fessus; præfecto suo, in gratiam Lusitani Regis fortius ut traheret, blandis verbis instanti: respondit: *Hoo hoo!* q. Malabarum linguâ dictu-rus: *Volo, volo!* elucet porrò elephantorum ingenium Mercuriale ex eo, quòd & ad bellum & ad pacẽ se disponere nôrũt, hinc 24. ex istis pro Indorum Rege excubias agunt! nôrunt & vulneratis sibi aloës lachrymas f. succum pro medicinâ instillare.) *capreolos* (velocis & agilis naturæ, de lignis enim ad ligna, de locis in loca, hinc illinc saliunt) *hippopotamos*, (qui venæsectiorum docuere, arundinum acuminibus sibi plethoricis venas incidendo) *murmenta* (sagacitatem Mercurialem in eo monstrantia, dum plaustra q. ex seipsis faciendo, tergis incubãt, victualibusq; intra pedes impositis onerata, à reliquis cõsoribus in tabernas suas trahuntur) *sciuros*, (qui Nautarum instar, arborum corticibus vel asserculis insidẽdo, erectis in altum caudarũ remis velisq; à vento moti, flumina secant, quo naturali artificio viso, naves primùm excogitatæ fuerunt: hinc in aliquot antiquorum nautarum monumẽtis nil nisi sciuri, na-

Hippopota-mus.

Murmenta.

Sciuri.

vi insidentis, effigiem insculptam in quibusd. Italiæ templis vidi) *Feles*, (qui pilâ q. palmariâ multoties invicē ludunt: oculos item læsos valerianę herbę adfrictu sanant, unde & valerianâ tecum gestâ, feles, quò velis, ducere possis; tam intimo n. in hanc herbam feruntur amore, vt in hortis domesticis crescenti, adfricando juxtaque dormiendo ferè vicini sint semper: nec herbam eamd. exsiccaturus, reponas, ubi licitus feli sit aditus, aliâs virtus penè omnis istius naribus extrahetur, stipitesque omninò felinâ, odorem vix perdente, conspurcabuntur urinâ!)

Feles.

Bombyces (qui sericum filum artificiosè contexunt, unde maximâ in copiâ per Italiam, arborum, quas Moroni vocant, (sunt mori albæ: weisse Maulbeerbäum) instar salicum nostratium ibi ad vias crescentium, foliis nutriti sustentantur: apud nos verò vitium foliis ali queunt: hinc forsan *nendi*; sicut à scarabæis *glomerandi*; ab araneis, *texendi & venandi*; artes omnes Mercuriales ortum traxêre!) ob naturam item hermaphroditicam, quam aliquoties hîc, Patavii semel, in anatomiâ certò deprehendi, sub Mercurii dominium refero lepores: quibus addo hyænam, alia, sexum mutare valentia:

Bombyces.

Lepores.

Mer-

Mercurius enim & ipſe hermaphroditicus, inq; utramq; manum, pugnam, paratus eſt miles: non tam in cœlo, ut ex hermaphroditicis ſeu variis hominum, queis tales inde adducuntur, actionibus Mercurialibus patet: quàm in minerali terrâ: quam hermaphrodeſin variæ circa Mercuriũ in chymiâ laborationes produnt. Inter aves, Mercuriales ſunt illæ, quibus natura q. ingenium indidit ſimulandi vel vocem artificialem, muſicalem, canoram, vel alias quaſdam hominum brutorúmve actiones agendi: tale artificium ineſt pſittacis, mœo avi, picis, humanæ linguæ, riſionis, vocis, ſimiis (unde

Aves Mercuriales.

Pica loquax varias modulatur gutture voces,
Scurrili ſtrepitu quidquid & audit ait!

alterum illum mœum, vel mævium hominem eſſe jures, ſi, non viſâ ave, riſus & cachinnos audias: Rudolphus Imperator binas ejuſmodi aves, ex Turciâ aliquando miſſas, mirabili & inſigni dono accepit! tertius ille pſittacus, multa item loquitur, multa ridet, nil edit impuri, ſeparatq; à cortice nuces: videas & naturalem huic q. ineſſe adverſus canes antipathiam) ineſt inſuper Mercurialis natura monedulis, ſturnis, graculis, cardueli-

bus,

bus, picis, alaudis, philomelis s. luſciniis (cantûs ſuavitate, quâ etiam inſomnem noctis laborem, ovorum incubationi impenſum, ſolantur, omnes aves ſuperantibus: unde fabula de luſciniâ & aſino!) porrò ficedulis, merulis, turdis, calandribus: quibus ob motus frequentiam adeenſeo cornices; nam q. ſibi ipſis placendo,

Sæpius hæ ſiccis ſecum ſpatiantur arenis!

Unde Peripateticos, cornices quis diceret:) Piſcium polypo, rectiùs polypodi, verſicolori, Mercuriale ſanè & aſtutum eſt ingenium, hic enim ſaxum ſimulans, quidquid incautum ſubrepit, caſſibus ſuis ceu cirris irretitum, devorat: ſolertes hincq; Mercuriales ſunt, Paſtinaca marina & mugil: illa occultos radios in tranſeuntes figit; hic caudâ cibum (den Fiſchern zum boſſen vnd ſchabernack) ex hamo excutiendo furatur. Hermaphroditicæ iterum, atque eo ipſo Mercurialis naturæ eſt Trochus, ex ſeipſo & marem & fœminam faciens. Sed inter quos lapides verſatur Mercurius noſter? Breviter. Inter eos, quibus natura vel ars, variam formam, varios colores, ac præcipuè croceum cum viridi mixtum indidit: quorum nomina & virtutes quærantur apud

Pisces. *Ælian.* 1. *Hiſtor. animal.*

Lapides.

Boe-

Boëthium in de gemmis. Ad Mercurium hîc referre lubet lapidem ceratitem, s. monocerotis cornu fossile, quale nuper Friburgi Brisgoiæ & Lohræ in copiâ vidi: invenitur etiam hinc inde in variis regionum locis, illis ubi margæ species cum lapidescente aqvâ subterraneâ lactis instar per cavernas fluit: hinc variis sub lignorum, cornuum, fructuum, radicum, formis effoditur, prout materia dicta, corpora ejusmodi subterranea penetrando, transmutare potens fuerit: hinc non tam ob formarum, quàm effectuum in medicinâ varietatem, fossile illud monocerotis cornu (non tam plebeis, qvàm principibus etiam viris, à Deceptoribus pro vero unicornu sępius oblatum) fugaci atque fallaci nostro Mercurio acceptum fero. Vires à multis exploratæ sunt contra venenatas auras, quæ & Mercurio læso subsunt: item cõtra venena, pestem, toxica, febres malignas, epilepsiam, alia. Mercuriales etiam puto illos lapides, quibus variæ ab artifice naturâ formæ, certum quid in naturâ referentes, reperiuntur inditæ: sic propè Islebiam in monte repertus fertur lapis, cum Lutheri Islebiæ nati effigie, quæ naturaliter, lapidi increverat: repertos & alios *Vid. Boëth. 2. gemm. 243.*

N vidi,

vidi, quibus genuinæ halecum, item herbarum certarum formæ inerant: (ubi forsan fieri potuit, ut herbæ inter saxa crescentes, saxis adhuc mollibus q. signaturas suas impresserint, ac cum tempore creverint in durius; id quod dubio procul in limosis ac lapidescentibus locis locũ habere potest, ubi occulta rei forma ex relicto occulto semine cum coagulato tandem corpore lapidoso emergat. Saxa crustosa & scissilia die Schifferstein / Mercurialis huj⁹ sunt naturæ, ut varias istiusmodi formas in genituræ suæ loco facilè accipiant; hinc visuntur quandoq; cum impressis naturalium arborum, ericarum, piscium, præs. percarum & luciorum, figuris q. naturalibus, quas nec pictor penicillo aptiùs delineatas repræsentare queat: propè Florentiam, Herbipolin, Islebiam, in fluminibus veterumque piscinarum locis tales effictos naturæq; penicillo pictos lapillos reperire licet: quid si pisces ita repertos, minerali terrâ obrutos mineraliq; aliquo liqvore, vel alio coagulante vapore in lapides cõcretos dicas? cùm & minerales fontes ac aquæ sint, quæ injecta corpora, etiam panem, in lapidem, ferrum, cuprum, mutent! multos hujus generis lapides repe-

rire

rire licet in Puteolis (*Puzzolo*) propè Neapolin: etiam propè Bononiam, ut ibi videre contigit: sic & in nonnullis locis maritimis reperiũtur mollia naturâ corpora, quę ex salino maris coagulo durissimum accepêre corpus: quæ coagulatio simile quid habet cum coagulatione Mercurii: atque hæc mirabilia nostris videntur oculis, quæ vel naturæ, agenti, vel Chymiæ ex naturæ æmulatione laboranti, mirabilia non sunt: tenet porrò Mercurius porphyrium lapidem, topacium, achatem, item vitra lapidescentia varii generis. E mineralibus ac metallis Mercurius sibi vult homonymum Mercurium vivum, mediam q. sortem inter mineralia ac metalla adeptum, hinc cum Untzero liceat appellare liquorẽ mineralem, ex metallicâ viscidâ sulphureâq; terrâ exactè contemperatum mixtumq; spirituosum & in igne volatilem, externè frigidum, internè calidum, ponderosum, colore argenteum, omnibusq; metallis familiarissimum, cùm iisd. intimè adhæreat, ea resolvat, & ad singulorum naturam se accommodet: hinc Mercurium hunc videas, prothei instar, in varias formas, varios formarum effectus, mutabilem: jam enim avolat in auras,

Vid. Imperat. Neapoli excus. de Histor. rerum naturall. sermone Italico.

Mercurius vivus: cujus natura & præparatio multiplex videatur ap. Untzer. in anat. spag. Mercur. ap. Libav. & chymicos scriptores alios.

jam manet in aurâ & auro, jam alio modo retinetur: jam volatilis fit, jam fixus: jam ſpiritus, jam oleum, jam lapis: jam hujus, jam illius coloris: jam vivit, jam mortuus eſt: jam mortuus, revificatur, jam nunquam ad vitam redit: jam per ſputum agit, jam non: jam alvum movet, jam vomitum, jam urinam, jam ſudores: jam deſtruit, jam conſervat: jam hoc, jam illud agit: quam mutabilitatem ſatis experiuntur Chymiſtę! licet eumd. etiam Mercurium, ſicut & vitriolum, in omnibus metallis occulto modo reperire (audii phantaſtam an ſapientem qui diceret: ex quovis etiam ligno, ex quovis lapide, ex quovis ſtercore, ſe elicere poſſe Mercurium: qui ſi aquam intellexit, habet enim aqua ſignaturam Mercurii, ex analogiâ ſaltem quid dixit) ſed Sapientis eſt, inquirere, qui ſapienti ore dicit: in Mercurio latet, quod quærunt ſapientes! unum addo: Mercurium uno modo jam potes coagulare, jam eod. modo, ſed alio tempore, non potes! cauſam quæris? in aſtris latet, quæ tu quandoque ignoras! funde Mercuriū ſub certo ſuo aſtro, ſub conjunctione puto Saturni & Mercurii (hinc forſan fit: quòd Mercurius vivus in plumbum fuſum modicâ priùs intru-

An Mercurius metallis inſit. *Vid. untzer. 1. anat. Merc. 15. Laurembe rg. in ſcript. contra Salam.* an vitriolum? *canepar. in de atram.*

sâ foveâ, injectus, in momento q. coaguletur!) vel funde etiam sub conjunctione Martis & Mercurii, sic dubio procul citius coagulabitur! sed iterum sapientis erit, latius heic inquirere: quem non pudebit, *quotidie discere*, aliàs non erit sapiens! Chiromantici montem sub digito auriculari, amatorio (Liebsfinger) vel minimo, tribuunt Mercurio, indeq; peculiaria formant judicia, quæ jam non moror! Antiqui imaginibus Mercurii per artificium, horâ nempe Mercurii, ipso in geminis aut virgine, domibus suis, existente, in certis Mercurii lapidibus, exsculptis, usi sunt, ad acquirenda varia variarum scientiarum & artium bona: hodie Mercurialia talia sigilla imprimi possent Mercurio terrestri coagulato, tãqvã proprio metallo, in quod chymicæ artis auxilio facilè verti potest; Mercurio tamen cœlesti in dignitatibus bonisq; aspectibus, coagulationis præsidis Saturni, Jovis, Lunæ & Veneris constituto; unde forsan Mercuriales actiones promovere, Mercuriales item morbos, facilius curare licitum esset: non ita nuper in illustri quodã loco vidi tale Mercurii sigillum, Mercurio fixo, optimam Solis Ungarici probam sustinenti (hat die probe gehalten)

Mons Mercurii.

Sigillum Mercurii.

impressum : quin adseverare possum ; personam gestantem in mercurialibus fuisse felicissimam, cui ad tantam, etiam in morbis curandis felicitatem, ante cœlestis hujus remedij acquisitionem, tanqvam ad Corinthum, nō contigerat aditus! quid putatis heîc, qui nares forsan stringitis? anne astrale hoc quid esse dicetis? Qvoad transmutationem, Mercurius certè tam aptam in varias se transmutandi formas naturam habet, qvàm vix Protheus quisqvam: unde Mercurius noster vivus, observato quoq; cœli regimine, multò faciliorem obtinet trāsitum in & ad alia metalla, quàm neutrum horum in alterū. Mercurium autem si figere cupias in Solē, ante oculos prius habeas Lunam in leone, horam Solis: in Lunam, signum Lunæ cancrosum, horam Lunarem: in Saturnum, Lunæ aquarium, horam Saturni: in Martem, Lunæ arietem, horam Martis: in Jovem, Lunæ pisces, horam Jovis: nō neglectis interim transmutandorum terrestrium planetarū fortitudinibus, quas ob herorum suorum cœlestium fortes positus, adipiscantur: sed propositam mihi video telam, ultra qvam non trahendum filum!

Transmutatio.

INTRODUCTIO LUNÆ.

VII. LVNA ejusq; locus ac motus.

VLtima nunc Luna est, quæ ut cœlestibus Planetis posuit terminum, ita & nunc sermonem, ruditer hactenus de iisdem susceptum, decurtabit: hæc ultimum inter Planetas accepit locum, ut sit q. superiorum, à Sole potiss. provenientium, influentiarum receptaculum, unde q. prægnans facta, conceptum suum fœtum, in vicinum sublunarem mundum, majorem & minorem, edat, viresq; rebus insitas, alacrius excitet: hinc juxta præcipuorum Astronomorum mentem, nec proprio suo, sed alieno, à Sole (forsan & aliunde) communicato, gaudet lumine, quod secundum diversas ad Solem positiones, quadraturas maximè, diversum est: hinc nova, semiplena crescens s. falcata, plena, semiplena decrescens s. cornuta fit Luna: quæ omnia menstruo peraguntur spatio, quo consuetum suum per dodecatemoria curriculum absolvit: multa heic, ubi multa licerent, miranda proferre possem de uniuersali & particulari Lunæ in omnia sibi subjecta influxu

(hic enim tam certus est, qvàm certus Sol ipse, certa Luna ipsa!) faciam autem qvod curta jubebit minerva: non multa nunc dicam, nec enim tam multum est dicendi propositum, de Lunationum judiciis: hoc tamen dicam: Lunam cum Saturno facere ad frigus, pruinas, uredinem, nebulas crassas, pluvias: cum Jove, ad serenitatem: cum Marte ad ventos, nebulas rubras: cum Sole, nunc hoc, nunc illud, pro variâ phasei: cum Venere & Mercurio in humidis potiss. ad imbres: nec præteribo heic, quod ad medicinam forsan faciet: quartum à Solis conjunctione diem, indicium plerumque præbere futuræ criseωs menstruæ: de quo & Galenus & Plinius, & Poëta, de Lunâ sic canens:

Lunationes.

Indicium lunationis menstruæ. Gal.3.dieb. decr. Plin. l.2. c. 46. Virgil.

Sin ortu in quarto (namque is certißimus Author)
Pura nec obtusis per cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & quæ nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluviâ ventisq; carebunt.

Idem ulterius:

Cynthia si cornu, quod se sustollit in altum,
In curvũ specie velut annuat, ad fore cœlo
Sæva procellosi prædicet flabra aquilonis.

Rursus

Rursus eò veniet pluvius Nothus, hanc ubi partem
Ponè supinari conspexeris, inq; reclivem
Spontè habitum: verùm si lumen tertius ortus
Proferat, atque Deæ convolvat circulus oras:
Suffusus rutilo, mox tempestate sonorâ
Spumosum latè pelagus canescere cernas.

Idem alibi:

Non unum deprensa diem tibi signa loqvuntur,
Sed quæ signa novo dederit nox tertiæ motu
Quartave, sustollat medios dum Cynthia vultus,
Durabunt cœlo: medio quæ edixerit ore
Igneis in plenos: hinc in dispendia rursus
Altera provisæ signantur tempora Lunæ.
Illa dehinc, donec germani Luminis ignis
Accedat phœbo, mensis postrema notabūt.

Ubi vel ex ipsis poëtæ verbis: *Si lumen tertius ortus proferat*: item; *quæ signa novo dederit nox* tertia *motu* quartave: oriri videtur scrupulus: num, quæ dicta sunt, ex tertio vel quarto à conjunctione die, haurienda sint? quem eximo statim dicendo: Lunam ista facere, cùm venerit ad

Theophrast *in libell. de Tranquillitat. signis cum* Lucano *sumsit* tertium.

primum sextilem, ratione primæ visionis: sive nunc tertio, sive qvarto, *pro diverso sc. Lunæ Motu*, id evenerit die, nil interesse: idem dicendum argumentum de diebus criticis. Ventorum (qvos à Mercurio ac Lunâ inpr. regi non ineptè colligas) causas, causas item fluxûs refluxûsque maris, nemo forsan physicus exactè ex suis principiis hauriet, nisi cœlum ex eoqve Lunarem præc. cum reliquis stellis erraticis & fixis, configurationem conjungat; cautiores hâc in parte sunt naucleri Astronomi per mare practici, qui si ad nil aliud, ad Lunæ saltem motum, oculos mentemqve vertunt oportet tamen in fluxu isto refluxuq; subsit qvid aliud, qvod si scire possem, auro argentoqve redimerem (quid alii dicant, scio, qvod idem est, ac nescio!) mare enim Venetum singulis 24. horis, bis ad longioris viri altitudinem crescere, bis decrescere vidi; manè & primâ nocte crevit; à meridie, ubi aliqvot plateas, mari vacuas, cœno saltem repletas, cernere licuit, & mediâ nocte, statis suis sex semper horis, decrevit: heic, inqvam, subesse qvid suspicor, qvod non omninò à Lunâ sit, aliâs fixum illud accretionis & decretionis tempus non observaretur, qvod

Indicium crises.

Causa ventorum, ac fluxus ac refluxus maris.

pro

pro diverſo forſan, nunc celeriori, nunc tardiori, Lunæ motu, mutaretur: mare (ridiculam hanc à nonnullis cauſam dictam audias) intra id tempus, ſi in antra recurrit, quid qvæſo ante hunc incurſum replevit, dicesne fuiſſe ibi vacuum? immò quis vel qvid certo tempore in antra ire intrò jubet? cur non aliud ridiculum profers: dari nempe poſt mare alium mundum, meris ebrioſis ſtultis repletum, qvi certis horis mari ſe inebrient, certis item iterum evomant? vereor itaqve ne adſit heic ſumma iterum ἀρρωστία τοῦ νοῦ, *imbecillitas mẽtis!* Tu cauſas tibi placentes elige ex ſubtilioribus Phyſicis, iisque, qui de acidularum ac thermarium fontibus ſubtiliùs ſcripſere: nil dicam de eclipſibus, qvę varios morbos, juxta varios ſuos ſignificatores (ſolet enim quivis Planeta, appropriatum heîc ſuum adferre) adferunt: ſed qvid de aliis electionibus ac criſibus medicinam ſpectantibus dicam? ibi phlebotomandi, purgandi, ſcarificãdi, ablactandi, ad ſcholam deducendi, nubendi, peregrinandi, ſerendi, ſecandi; heîc verò morbos dijudicandi, tempora intendo: uno verbo, ſi poſſem, dicerem, hæc *omnia regi à Lunâ*, atq; ex ejusdem vel facilitate gaudere, vel infelici-

licitate dolere: Lunam autē heic qui negligit, Solem ipſum negligit! brevi nunc pede per ſingula curram: multoties mihi conſtitit, diverſorum temperamentorum hominibus ſanis, variè, alteri malè, alteri bene, ceſſiſſe *venæſectionem*, *ſcarificationem*, *purgationem*, uno eodemque tempore inſtitutas! cauſas ſuſpicatus ſum ſubeſſe ſaltem ſub Lunæ ſignis, quæ in medicinâ faciendâ temperiebus debebant eſſe cōtraria: hinc fit, ut cholerico, nō adeò proſit *ſanguinis miſſio*, ſub igneis, ac phlegmatico: nec phlegmatico ſub aqueis, ac cholerico: viciſſim ſanguineo nō adeò proſit ſub aëreis ac melancholico: nec melancholico ſub terreis, ac ſanguineo! ſemper enim contrarium te heic eſſe oportet: Ideò ſic collige cholerico prodeſſe venæſectionē ſub ſignis phlegmaticis; cancro (ſcorpio) piſcibus: phlegmatico ſub cholericis; Ariete, Leone, Sagittario: ſanguineo ſub melancholicis; tauro, virgine, capricorno: melancholico ſub ſanguineis; geminis, librâ, aqvario: quamvis in genere terrorem heic incutiant multis, gemini, (ob brachia) Leo (ob cor) ſcorpius, (forſan ob malignitatem Martis:) terrere quoque debet Luna, ne membrum ſecetur, cujus ſignum ipſa occu-

Venæſectio.

occupet; ne sc. caput, si arietem, ne collum, si taurum; ne brachia, si geminos: ne pectus, (in empyematis curâ) si leonem aut cancrum; ne pedes, si sagittarium aut pisces, teneat luna; ubi iterum elucet contrarietas, toties à meris Dogmaticis decantata, qvâ ubi non amplius fruerentur, *præ* sensuum forsan contrarietate disrumperentur! terrere iterum debet Luna læsa â Saturno vel Marte: ad venæ-sectionem è contrà incitare debet prædicta Luna, si vel Sola teneat imperium in signis bonis, ariete, librâ, aqvario, cancro, piscibus; vel bene applicetur bonis, Jovi sc. aut Veneri: dividunt & quadraturas Lunares pro ratione Ætatum, ita ut prima quadratura juvet venæsectionem (juvare eodem quoque ordine fæminarum menstrua putatur:) in juvenescentibus; secunda, in juvenibus confirmatis; tertia in virilibus; quarta in senilibus: sed intellecta hæc velim extra necessitatis telum: necessitas enim curæ ferrum frangit, nec cœlum ubique inspicit: non minoris, immò majoris virtutis Luna est in *purgantibus*: deprehendi multoties in meipso & aliis, idem specie purgans, diversis temporibus repetitum, jam retentum, jam per vomitum redditum *Purgatio.*

tum

tum fuiſſe: causâ vomitus, quia ſumtionis tempore, ruminantium ſ. vomentium ſignorum aliquod, arietem puta, (taurum) capricornum vel leonem (qui ob ventriculi ſignaturam etiam nauſeam heîc movet) Luna tum percurrebat: deprehendi item debilem purgantium operationem, Lunâ vel debili nimis, à maleficis impeditâ, vel à Jove (confortantium præſide) nimis confortatâ, unde, ut obiter hoc dicam, Galenicorum multa purgantia naturæ q. adſimilantur, ſecus ac fit cum chymicis, quæ naturâ quandoque confortatâ fortius operantur fermentando: felici autem ac facili purgans elabitur antro, ſi Luna in ſignis aqveis vel aëreorum duobus ultimis conſtituta, ab expultricis facultatis præſide, Marte, Sole quoque aut Venere, fideliter juvetur, quod auxilium ipſi præſtant eorumdem ſextiles aut trigoni; obſervatur & heic contrarietas ſpecialis, dum, Lunâ in cancro exiſtente, Veneris nutu, fortiùs purgatur bilis per electuarium; nutu Solis aut Martis, phlegma; nutu Jovis, melāсholia: in ſcorpio verò, bilis tutius pellitur per potionē, ſi adnuat Venus; phlegma, ſi Sol ac Mars; melancholia, ſi Jupiter: in piſcibus, juvatur excretio bilis per

Curatio per contrarietatem aſtralem.

pilulas

pilulas, si consentiat Venus; phlegma, si Sol ac Mars; melancholia, si Jupiter! scias enim Saturno deberi melancholiam; Jovi [Soli ac Veneri,] sanguinem; Marti bilem; Lunæ pituitam: hinc, ut galenica etiam contrarietas eò meliùs foveatur, sub Saturno emunda sanguinem; sub Jove melancholiam; sub Marte, pituitam; sub Lunâ aut Venere, bilem: sunt qvippe Saturno, sanguis; Jovi, melancholia; Marti pituita; Lunæ ac Veneri, bilis, singuli microcosmici humores contrarij! In *scarificatione*, venę-sectionis vicariâ, (unde quæ antè dixi & heic locum obtinent) *cauteriorum* item *inustione*, aliis similibus; observetur, ut Luna extra membri scalpendi aut urendi signum currat, sic adfluxûs copia minuetur: rectiùs procedetur, si Luna in signo, membro tangendo contrario, cucurrerit! contrarietas item signorũ valet in *balneis*, quæ tutiora sunt, Lunâ per signa ignea, felicesq; Solis ac Martis, siccorum planetarum radios, currente: si quis tamen partem aliquam studio humectare cupiat, feliciùs id fiet in balneo, *sub Lunâ* vel in signis humidis, vel partis curandæ signo, *crescente*, instituto: sic ad emaciata crura, emaciatos pedes, copiosior, meâ eqvidem-

Scarificatio. *Ustio.* *Balnea.*

mente, adtrahetur ſangvis, Lunâ, in bono Jovis radio, ad plenilunium properante in piſcibus humidis, quibus pedes ſubjacent: ſimile de cæteris eſto judicium, ubi licèt ſigna partium non ſemper ſint humida, Luna tamen creſcens, eadem occupans, humores inibi auget: juvatur & cōceptio à Lunâ in ſignis terreis, fixis, cum Saturno, [qui retentrici facultati, immò & primo (juxta quoſdam) conceptionis menſi præeſt,] exiſtente, in felicibus Solis (hominem cum homine generantis) aut Veneris (prægnantium cum Luna matris) aut Jovis (ſeminis generationi dicati præſidis) adſpectibus: hinc enim ſemen eò fœcundius elaboratur, eò alacrius à matrice excipitur, eò tenacius figitur ac fortius geſtatur: quin crederem, obſervato cœleſti ejusmodi poſitu, uno ſæpe ſæpius conceptionem actu felici ſucceſſu perfici poſſe: & qvidni? annon enim cœlum & homo generant hominem? Sed taceo, quia conſentit Philoſophus! tacere tamen nolo, conſentire & hâc mihi in parte *Galenum*, qui in de diebus decretoriis tertio apertè ſentit: univerſas res à Lunâ mutari, illud a. non perinde omnibus conſtare, ſed iis, qui ejuſmodi accuratè obſervaverint, in confeſſo eſſe:

Conceptio.

Loc. Gal. 3. dier. decr.

d h:

ad hæc *seminis conceptionem, impragnationem, auctionem* & (quod majus est) omne actionis initiũ magnas alterationes juxta Lunæ motum *in septimanos circuitus* (ubi criticos quoq; notat dies) obtinere: quæ namque (ipsa Galeni hæc mens est) quotidie omnibus, quæ subsistunt, incidunt, horum causam *Luna* habere observata est, maximeque tetragonis & diametris stationibus ea immutans: nam si *Lunâ in tauro* existente, *semen concipiatur*, vel partus, vel omninò alterius cujusdam (concludo ego: E. & morborum : unde Crisium causam ex Galeno juxta Lunæ motum deduco) principium contigerit, magnas ejus mutationes faciet, quãdo signiferum percurrens, in leonem, scorpium & sagittarium venerit! colligite hinc, æqui rerum censores, quid Galenus de astrologiâ aliâs in genere, heic in specie, senserit, secius nempe ac melius, ac multi ipsius sectatores, quos certè, quia alioqvin in Præceptoris verba jurare solent, & hâc in parte Galenum Patrem imitari, nec tam immatura, de astrologicâ quoq; medicinâ, judicia ferre, decebat! unde (Itali cujusdam mente) explodendi sunt, qvi, ut ignorantiam suam aliqvo modo videantur obtegere, Astrologiam ipsam

non ſolum Medico neceſſariam eſſe negant, ſed mendacem illam falſamque eſſe impudenti ore proclamare non erubeſcunt. Sanè (ſic uberius ille fert judicium) ſi iidem illi divinam hanc (túne Diabolicam diceres?) ſcientiam cum Galeno ſępiùs experimentis comprobaſſent, non ſolùm veram illá eſſe & ipſi inveniſſent, ſed utilem etiam & Medico maximè neceſſariam: qvippe qvæ tum ſalutares, tum infauſtos ægroti dies indicet, & qvem finem tandem ægritudo ſortitura ſit, vel ad mortem vel ad ſalutem manifeſtis argumentis edoceat: qvam eamdem in ſententiam alius qvidam Aſtrologo-Medicus abit, dum in Aſtrologicæ Medicinæ approbatione inter alia de Criſium inveſtigandarum methodo agẽs, ad propriam experientiam confugiendo inqvit: experimento ſæpe comperi, morbos judicium diſtuliſſe, donec Luna motu ſuo perveniſſet ad qvadratum vel oppoſitum ſtellæ, cum qvâ fuerat, cùm primùm ægritudo inciperet, aut idem omninò punctum attigiſſet, qvod freqventer contigit die 8. 15. 17. 20. 21. 22. & cæteris indifferenter, ut non mirum ſit, Hippocratem (à cujus communi doctrinâ & Aſclepiades & Corn. Celſus inter antiqviores, miſſis
jam

jam recentioribus, dissentiunt) sæpe decimum septimum, vigesimum & alios, qui his correspondent, tanqvam decretorios observasse: sed causam agnoscere non potuit, qvòd suo tempore Planetarum motus non bene comperti essent; hæc est igitnr Astrologorum sententia, Lunam in principio ægritudinis cum malefico aliqvo Planetâ coëuntem, aut in ejus qvadrato aut opposito existentē maximas alterationes producere, cùm ad hostiles alios aspectus provenerit, sive decretorio sive non decretorio die id cōtigerit: hinc fieri potest, ut Luna, in primâ accessione Marti conjuncta, ad tetragonos postea ejusdem radios progressa, miras tragœdias excitet, sæpius & mortem ipsam adferat, si beneficorum radij ipsam non foverint! sed nostri jam non est officij, ut dictam doctrinam mordicùs heic defendamus: pauca saltem addam, qvorum cognitio Medicum ornare qveat; nempe, ut exactiorem tēperamentorum cognitionem ex cœlestibus causis eruat: morbos astrales eorumq; curam ex thematibus qvoq; indaget: ex Lunæ ad principium morbi positu, non tam nudas crises, qvàm & salutis ac mortis signa deducat: ex materiebus medicinalibus, cœlesti

influxuplenis, verũ aſtraliũ remediorum, certis lunaribus diebus adhibendorũ, apparatũ faciat, ſicq; medicinã aliquã aſtrologicã exerceat: ſed pergã in inceptâ Lunę hiſtoriâ: *Abſtemios* bene multos fieri, etiã causã aliqvã in Lunâ, tẽpore ablacta-tionis, ſubeſſe ſuſpicor: cùm n. Luna appetitus ſit domina, videtur etiã in infante jam ablactato appetitus ille juxta ſigni lunaris naturam ad hæc vel illa inclinare: hinc multi præ aliis, leguminum, radicũ, fructuum, fiunt appetentes, Lunâ ablactationis tempore, cum Saturno in ſignis terreis potiſſ. capricorno vel tauro, (qui terreſtris, varias ex terrâ plantas devorat) hærente: multi præ aliis, piſcium ac cancrorum eſu delectantur, Lunâ, ablactationis tempore, in piſcibus vel cancris forſan exiſtente: multi tam Σαρκοφάγοι, *carnivoraces* fiunt, Lunâ, ablactationis iterum tempore, cum Marte in leone (animale, prædâ carnium animalium gaudente) circumvagante: multi tam delicatuli fiunt, ut qvotid. ferè ſacharo, melle, vino, aliisque delitiis dulcibus, recreari ſatagant, Lunâ forſan, ablactationis itidem tempore, cum Venere in virgine vel geminis verſari gaudente: quid ſi jam abſtemij fierent, ab illis, quorum contraria

Abſtemij.

ſigna

ſigna occupârit Luna, effera q. à Saturno vel Marte facta: obſervant, vel, ubi non faciant, obſervare debent, & nutrices & obſtetrices, ut plenilunij tempore, quo à Sole magis diſtat Luna, â mammillis infantes arcendo, ad alium adſuefaciant cibum; nec ablactent, ſi Luna, cum Venere forſan, domos Veneris, taurum vel libram, vel exaltationem Veneream, piſces, poſſideat: tantum enim abeſt, ut hic infantes mammillis, ob ſtercus etiam anſerinum, vaccinum, ſuillum, vel aliud impoſitum, infenſi fiant, ut potius digitis depuratas papillas, pleno iterum ori intrudant: atq; hæc ſcire, cur pudeat Medicum? cujus curæ etiam infantes ſubjacent? ſi nil juvant, nil nocent! Ad ſcholam item multò citius adſueſcent pueri, ſi ſub felici Mercurii ac Lunæ, ingeniorum præſidum, configuratione, primâ illi vice deducantur, quàm ſecus ſub effrœnato ſc. Marte, vel pigro Saturno, vel delicatâ Venere, vel magnifico nimis Sole: hinc n. naturâ tamen primitus ingenitâ repullulante, è ſcholis evagantur Martiales milites (Kriegsgurgeln) Saturnini aſini (grobe vngeſchnitzte Plöck) Venerei amatores (Gaſſenjunckern / Jungfrawen Serviteurs) Solares domini (die gewaltige *Ablactatio.*

Desponsatio.

Messeurs seyn wollen!) Ad sponsam sponsæque lectum liberior futuro sponso patebit aditus, si janua Veneris aperiatur, splendentibus felicibus Lunæ ac Veneris radiis in domo præsertim conjugii: ad sponsum verò sponsæ (dann bißweilen hätten die Jungfrawen gerne Männer / so jhre bestelte Kupplerin haben) irradiantibus prosperis Martis ac Solis radiis: Luna quippe ac Venus præsunt conjugiis virorum, petentium fœminas: Sol verò ac Mars, fœminarum, volentium viros: (qvin stellas nubendi temporibus favere, in communi jactatur proverbio, quo dicitur Er hat einen guten (oder bösen) stern gehabt zu heyrathen!) sed ubi nũc seritur, ubi metitur? etiam serendi ac metendi hæc tempora subsunt Lunæ, irrigationis dominæ, coadjutæ à Saturno, culturarum præside: hinc Saturnus plantat, Luna rigat, dat incrementum Jupiter: de re naturali, loquor naturaliter! semen igitur tuum quodammodo siccius, terræ concredas, si Luna crescens in humido, cancro vel pisce; Saturnus fixationis herus, in fixo capricorno vel tauro vel virgine (plantandi cupidâ) occupentur signis: melius procedet hoc culturæ opus, si felici simul facie adpareant

Seminatio ac plantatio sub Lunâ: ad quã etiam referre licet transplantationem morborum, magni in astrali medicinâ ponderis.

pareant Jupiter & Venus! ſemina autem naturæ nimis humidæ, in terram inijciantur tempore decreſcētiæ, ſub ſignis item ſiccioribus: ſicut ſiccæ, tempore creſcentiæ, ſub ſignis humidioribus: heîc iterum adparet contrarietas in ſignis obſervanda: quam quia plures nunc vident, cur non & medicinam aſtrologicam amant, quæ ex contrarietate, non ex ſolâ ſimilitudine curat? in ſeminatione tamen generaliter inter ſigna nocere quandoque videntur gemini, leo, ſcorpius, ſagittarius: quæ ſi omninò negligi debeant, eligantur vel alia ex eodem trigono; vel ubi retinere velis, exſpectes donec felicem juxtà nanciſcaris adſpectum (Jovis vel alterius) ſeminaturæ alioquin tuæ convenientem: qvanqvam ſub modò dictis nocentibus ſignis, plenilunii tempore, amputatas vites à volucribus, aliisq; inſectis haud infeſtatum iri, dicant! atque hæc ſcire, cur pudeat medicum Botanicum? cujus curæ ſubjacent ſemina cum plantis? patiaturne agricolam ruſticum hâc in parte ſe feliciorem? qui & novit, qvando ſemina terræ ſint mandanda? quando olera intrudenda? quando arbores plantandæ? quando vites amputandæ? quando ligna ſecanda? quibus nec vermes

Amputatio.

Botanicus non debet ſuperari à ruſtico.

vermes nec cariem nocitum iri novit, ubi Lunæ ſiccæ decreſcentis tempore reſecta fuerint: vel (melius) ubi Saturnus ex ſigno ſicco Lunam infra horizontem poſitam reſpexerit: durabiliora enim inde quæ conficientur, erunt opera: qvòd ſi verò plantam aut arborem aut gramen ſuperficietenus amputata, citò recreſcẽtia mavelis, amputes ſub primam Lunæ, in aëreis vel humidis ſignis exiſtẽtis, qvadraturam, accedente conjunctione Jovis aut Veneris: obſervari, ſin placeat, idem poterit poſitus in tondendis vel capillis humanis, vel lanis ovillis, vel plumis anſerinis circa ventrem deplumandis; *Lunâ* inſuper in piloſis ſignis (ſiccis ut pl. unde ob ſimilitudinem fuliginum ſiccarum parùm tamen pingviũ, quale pingve ol. etiam ex crinibus deſtillari poteſt, eò citius recreſcent pili:) *tauro*, ſc. *capricorno*, *ariete*, *leone*, *virgine*, (quæ crinita eſt Venus, antiqvitatis decore) vel etiam *librâ*, vagante: adſpiciente fœcundo barbato Jove: Antiqvi n. barbam adſcripſerunt Jovi, (unde Jupiter barbatus) ſicuti Veneri crines, Mercurio ungves: id quod ex hoc incerti autoris monoſticho colligo:

Tonſio ac deplumatio.

Ungues

Vngues Mercurio: barbam Iove: Cypride crines!

Id quod per jocum ita repellere placuit:

Mercurius furti (possem etiam mutare: *Cytharæ*: dann die Lautenisten vnd Cytharisten sollen billich lange spitzige Nägel haben.)

——— probat ungueis semper acutos,
Articulisq; aciem non sinit imminui.
Barba Iovi, crines Veneri decor: Ergò necesse est
Vt nollent demi, quo sibi uterq; placet:
Mavors imberbes & calvos Luna adamásti,
Non prohibent comi tum caput atq; genas!
Sol & Saturnus nihil obstant unguibus: Ergò
Non placitum Divis tolle monostichium.

Sed ut dixi, jocus hic est! Cur enim & Agricolæ non sinunt crescere prata, cùm flores, herbæ, gramina, ipsis haud sint dedecori? Sed demetunt, ut gramen in majori recrescat copiâ. Sic & habet cum Iovis Barbâ, quam ubi singulis noviluniis (præs. sub prioribus dictis signis) detonderi cures, subcrescet barbara barba barbatior. Neque cedit hoc in Iovis aliorumq; dedecus: cederet autem si non tonderetur pecus, sed degluberetur (wie Clauß Narrens gestümpffte lächerliche Pferdsmäuler:) Ita reddo jocum joco! Tempora herbis colligendis dicata, ge- *Collectio herbarum.*

neratim item à Lunâ deſumuntur. Medicinæ ſtudioſus, Herbarium vivum collecturus, colligat herbas ſereno tempore, non manè, ubi ros adhuc inhæret, ſed circa medium ſolem ſeu meridiem, Lunâ decreſcente, in ſignis igneis, conſentiente Saturno & Marte in ſignis ſiccis, ſic facilius exſiccabuntur, nec rancidæ fient herbæ, quæ nec primâ vice fortius ſunt premendæ, ne ſuccus omnis exeat, relicto capite mortuo, ſed papyro modicè ſaltē includendæ, poſtea ſicciuſculæ (ſein Welcke) prelo committendæ, ſic nativū cum formâ colorem retinebunt. Medicinales autem herbæ, in ſanitatis gratiam reſervandæ, eo potiſſimū tempore colligantur, ubi Luna fuerit fortiſſima, nec lumine, nec felici iſtius Planetæ, cuius Imperio herba colligenda ſubjaceat, adſpectu carens: paucis multa: Saturninæ [præſente tamen ſingulis Planetis felici Lunâ] legantur, Saturno in capricorno, aquario, vel librâ exiſtente, potiſſ. ante Solis ortum, Saturnus enim gaudet umbris: Ioviales, ſub Iove in ſagittario, Piſcibus, vel cancris; martiales, ſub Marte, in ariete, Scorpio, vel Capricorno: Solares, ſub Sole in Leone vel ariete: Venereę ſub Venere in Tauro, librâ, vel piſcibus:
Mercu-

Mercuriales ſub Mercurio in geminis, vel virgine: Lunares ſed Lunâ in Cancris vel Tauro: ubi ultima ſemper ſigna Planetarum Exaltationes; prima, domos, in quibus digniſſima ipſorū eſt fortitudo, & fortiſſima dignitas, fortiſſima item operatio, notant. Ac ne putes, Lunam in iſtis, vel aliis (quæ cæteris ſc. Planetis adſcribi ſolent) nihil agere: ſcias: Mandatum hoc ipſam accepiſſe à ſe ſuperiorib. ut ſuperiorum quoque facultates, officia, vires, tanquam Fecialis (wie ein Troß oder Herold) ſublunari mundo vicinior, vicinis Regnis, vegetabili, animali, minerali, denuntiet, obferat, præbeat. Atque hinc orta eſt aſtralis illa, admirandæ harmoniæ Muſica, imperſcrutabilis ſympathia ac antipathia, unde Hermeticum illud, quod & initio dixi: ſuperius ſicut inferius, & inferius ſicut ſuperius: unde ut humores in microcoſmo ad ſuperiorum motum ac mutationē moventur aut mutantur; ita & plantæ, ad iſtorum vel ortum vel occaſum, oriuntur vel occidunt: quod alio in ſenſu eſt: nunc potentiores, nunc impotentiores ſunt plantę inferiores, pro diverſo planetarum ſuperiorum regimine. Credent hoc mihi cœci à natura facti, qui nunquam viderunt, audi-

Generale Lunæ in ſublunaria imperium,

verunt tamen Lunam esse! Credent & ratione forsan cœci facti, quibus vel tandem aliquando experientia Astrologica in Medicina aperiet oculos! Sed sat sit, de prima electionum lunarium variarum parte dixisse: restat pars altera *de Crisibus*, de quibus ubi pauca verba fecero, descendam ad conclusionem Planetarum nostrorum cœlestium. Res in judicio crisium medicarum se habere videtur, sicut in foro practico: Quemadmodum enim ex iis, quæ inter actorem, reum, testes & judicem aguntur, tandem cadit judicium: ita & heic ex actore, facultate corporis: ex Reo, morbo ejusq; materia: ex testibus, signis crisium: ex judice, Medico, vota undequaque colligente, fertur crisis seu judicium, num reus, morbus sc. Ægrotanti futurus sit capitalis, nec ne? (obs ihm den Kopff werde gelten / ob er die Haar müsse lassen / oder ob ihm das Leben solle geschenckt sein!) Immò cùm pugna heic sit inter naturam & morbum, bellum oritur, in quo aut Tyrannum morbum, ægrotam corporis civitatem occupantẽ, vincere, aut à civitatis Rege, naturâ, vinci, adeoq; victoriam vel penes Tyrannũ, vel penes regem deponi necesse est. Victorialis ille triumphus brevi quandoq;

Crises morborũ à Lunâ diriguntur.

Comparatio cum judicio forẽsi.

Bellum naturæ & morbi.

occu-

occupatione, ab alterutrâ parte, hoſte, morbo; aut defenſore, naturâ, reportatur, quæ palma nunc intra triduum, nunc ſeptendium, nunc aliquantò longius in tempus datur, in Bellis morborum acutis, (morbos *acutos* dictos intelligo) quandoque & ex ſat longâ occupatione, neutra pars ob utriusq; fortitudinem, aut vincere aut vinci poteſt, vel utut altera fortior, alteram imbecilliorem, vermiculantem quaſi depreſſerit, regionem tamen ipſius relinquere prius non cupit, quàm hoſtem penitus peſſum dederit: (ceu hodie, proh dolor! in Germaniæ noſtræ afflictæ Bello diutino evenit, cuius & multos & longos hactenus vidimus dies criticos, neutrubi tamen vel ad ſalutem vel ad mortem tendentibus, ſed ſemper instar tranſeuntium tempeſtatum tranſeuntibus, ac cum novo fulmine redeuntibus: videbimus, ſpero, mox ultimum criticum, in quo materia morbi bellici, per omnes, quotquot reſtant, tormentorum vomitus reddenda, ſicque pax læſa priſtinæ ſuæ ſanitati reſtituenda fuerit!) ſic nempe fit & in bellis morborum longis (intelligo morbos longos dictos, quorum ſat longa eſt victoria critica: ſed unde hæc quæſo eveniunt? An ex humo-

rum, temperierum, locorum, ætatum, natura, conditione, ſitu, ſtatu? Dicant heic alii, quidquid velint, quibus utut obſtinato cōtradicendi ſtudio obeſſe nolim, præſtari tamen iſta exactius à Solis Lunæq́ue motibus poſſe, quia experior, ideò credo! Non longus ero (nec enim longi foret uſus) in *longis longorum morborum criticis*: quibus Solis vel alterius cujuſdam Planetæ, morbum creantis, motus, criſin inferre ſolent: id quod fit in arthriticis, paralyticis, nephriticis, hydropicis, quartanariis, aliis: licèt obſervarim, etiā quartanæ (præclarum quendam ICtum nō ita dudum ad aſtra ferentis) criſes, ad ſingulos Lunæ, reſpectu principii iſtius morbi æſtimatos, quadratos, exaſperatas fuiſſe, ob ſemper coincidentes malos Saturni ac Martis ad Lunā criticam poſitus, cum quibus etiam Lunam ipſam, ultima Critici hora, qua obiit prædictus noſter Quartanarius, in domo mortis reperii: id quod illis conſiderandum relinquo, qui Lunæ motum à longorum etiam morborum criſibus omnibus omninò arcere cupiunt: vix enim allegatæ meæ experientiæ cōtradicere poterunt! *Acutorum* autem morborum criticos à Luna regi, pluſquā in confeſſo nunc

Morborum longorum criſes Sole.

Criſes longæ etiā experiuntur motum Lunæ.

Acutorum criſes à Lunâ.

in

in Astrologica medicina esse puto, qua in re multos è Galenicorum turba manum mihi dare video: atque ita dare oportet, modò *Galenum*, in de diebus decretoriis, defendere velint, qui, quantum Lunæ in decernẽdis crisibus tribuerit, vel ex solis his ipsiusmet Galeni verbis colligere licet, quib. ait: porrò illud denuò repetendum est, quod nos quoque observantes (audite Galenum nostrum, diligentem Astrologiæ indagatorem quem imitemini omnes, quibus placet!) verissimum esse comperimus, ab Ægyptiis Astronomis inventum: Lunam non modò ægris, sed etiam sanis, dies, quales tandem futuri sint, posse prænunciare. Si enim ad Planetas temperatos, (Iovem, Solem, Venerem) steterit, faustos ac bonos dies producere: sin ad intemperatos (Saturnum vel Martem) graves molestosque. Hoc, quid quæso aliud est, quàm Lunam nunc facere crises bonas, si ipsius quadrati in bonos planetarum (morbos etiam suos proprios producentium) adspectus, inciderint: malos, si in eorundem malos. Ita nempe brevis & genuina stat sententia! *Dies criticos provenire ex quadratis Lunæ*, qui, quò citius, ex velociori sc. Lunæ motu, eveniant, eò citiores fieri crises: quò

Loc. Galeni 3. decret.

Quadrati Lunæ decernunt crisin.

tardius, eò tardiores: fieri item bonas vel malas, pro bona vel mala, iuxta Lunę quadraturas, configuratione, quæ si vel planetas vel signa morbis contraria tenuerit, morbos levari; sin similia, exasperari. Amo nempe iterum heic contrarietatem Galenicam, quam per brevia exempla monstrabo: Ioviales morbi ex sanguinis vitio vel plethora oriundi, inflammationes, pleuritides, anginæ, alii, augebuntur, si Iupiter sanguinis præses crisium tempore (juxta Lunæ sc. quadratos, à quibus crises oriuntur) tenuerit signa sanguinea, calida, ex Trigono aëreo vel igneo: levabuntur è contrà, si tum temporis in signis contrariis, melancholicis, siccis, ex Trigono terreo, fuerit: morbi Venerei, fistulæ, œdemata, lienteriæ, alii, levabuntur, Venere in signis naturæ istorū morborum contrariis, cum bono Solis, Iovis, Martis testimonio, existente: exasperabuntur, si signa & aspectus fiant ex similibus. Morbi Saturni melancholici, icterus niger, melancholia hypochondriaca, quartana, alii: item Martiales cholerici, febres, erisypelata, phrenitis, alii, vel leviores vel graviores fient ubi vel Saturnus vel Mars, in signis & aspectib. vel contrariis vel similibus, criticorum Lunę quadra-

Crises bonæ vel malæ ex astris quomodo judicandæ?

quadratorum tempore ſteterint : unde colliges, Saturnum frigidum in ſignis frigidis per criſes euntem non adeò nociturum morbis martialib. calidis : nec Martem calidum, in ſignis calidis, per eaſdem criſes permigrantem, adeò nociturum morbis Saturninis frigidis : uno verbo: oportebit heic conſiderare naturas planetarũ, ſignorum, adſpectuum, vel contrarias, vel ſimiles, indeq; de bonitate vel malitia criſis formare judicium, quod penes quoſvis eſto liberum. Hoc mihi heic videor ſapere, de cauſis & eventibus dierum criticorum, certius argumentum deſumi non poſſe, quàm unde nunc deſumere cogitem. Cauſas iſtas tam certas forſan mihi dare nequeunt, qui ex ſola humorum natura logizant ac nomizant: quis enim humoribus abſolutè dictis certum præſcriberet motum? certum motus diem? adferunt quandoque quod præſcribat, ſed prorſus non ad rhombum, ideò proſcriptione dignum! Nempe heic bilis hoc facit: calor hoc facit: frigus hoc facit: & quid aliud, non aliud facit? Sed cur quæſo humores iſti, qualitates iſtæ, non ſemper idem, eodem modo faciunt, quod dicuntur facere? Dixero heic forſan aliquid, quod occultè non fuerit de

nihilo! Sed rectè *dicuntur* priora facere, quod facere *videntur*: ſunt enim prædicationes de *dici*, non de *eſſe*: non res, ſed nomina ſunt, quæ nec ad rationalẽ vel phœbi vel Vulcani alicuius lucẽ poſita, cum rebus ſuis videntur, ſed cum vocibus in auras avolârunt. Hinc multoties (liceat libero uti ſermone) multi, proprii ſui mali confeſſores, apud tot Ægrotos in ignominiam incurrunt, quando quid eventurum dicunt, quod ita non evenit, ſed vel aliter vel prorſus non evenit! Rectius agit Aſtrologo-Medicus, rectius Chymicus, qui uterq;, ratione nõ deſtitutus, in rem præſentẽ, in experientiã ipſam it: hinc maiorẽ ſæpius apud ægros fidem meretur, maiorem laudem reportat. Diſſeras ægroto de criſibus, quantum velis, nil efficies: cura ipſum! Et cur quæſo, medicamenta tantoties differs, criſεως tuæ gratiâ, cùm tamen, an ita, ut putas, eventura ſit, neſcias? Cœlum heic ſi inſpexeris, poteris non tam de die, quàm de horâ criſεωσ, atque hoc ipſo de medicamenti exhibẽdi tempore, multò eſſe certior! Sed non audeo plura dicere, ne in ignominiam & tantum non plagas incurram, video enim Moyſen ante fores cum cornibus! Sed ut certus quoque ſis in tuis criſi-

Prædictio criſiũ certior eſt ex motu Lunæ: ideò cautiores eſſe debent in prognoſi, qui cœlum negligunt.

crisibus, en brevem & certam normam. Ad quæsitam horam invasionis morbi (horâ ignoratâ exquiratur dies, vel diei tempus, ante vel post meridiem) in cuius cognitionem manifesta ægroti alteratio primùm facta, te deducet, quæratur locus Lunæ in Ephemeridibus, secundùm artem: si lubet, ad dictam horam, erigatur Thema, ut videatur positus cœlestis tempore principij morbi, inde enim & quædã de futuris crisib. judicare poteris: Sin hoc nec libeat, nec liceat (multa autem in bonis licent, quæ non lubent) in circulum saltem scribe duodecim signa cœlestia, gradibus suis distincta, in eisq; Lunæ positum, signi sc. gradum, quem in principio ægritudinis obtinuit, nota; inde per integrum circulum numerando, invenies in singulorum tertiorum signorum gradibus principali Lunæ loco correspondentibus incipientes tuos quatuor primos quadratos, ad quos singulos, quo die, quâ diei horâ, Luna pervenerit, singuli quoque constituentur, tui dies critici: dies Indicativos, indicabunt Semiquadrati ad singulos 45. gradus incipientes: intercidentes verò intercident in sextilium principia, duorum semper signorum, à primo morbi tempore,

Modus investigandi crises.

re,

re, s. primo Lunæ signo & gradu, facto numero. Ex his omnibus, juxta inventum simul Planetarum, beneficorum vel maleficorum, positum, vel benè vel malè de crisibus, earumq; symptomatibus s. accidentibus, ferri poterit judicum. Practicus isthæc omnia, diversorũ omninò morborum accidentia, in uno duobus vel tribus circulis, parietibus suis adfixis, domi tanquam in calendario observare sat felici successu poterit: sed melius hæc possunt monstrari, quàm dici: quæ ubi monstrentur, magis facilia adparent, quã, ubi dicantur, difficilia forsan! Exemplo, quod nuper ad manus fuit, rem ipsam declarabo parumper: Incepit studiosus quidam laborare febri, anni huius 1626. mensis Iun. diei decimi octavi, horâ duodecimâ, seu horâ nullâ astrologicâ, id est, in principio diei astronomici. Luna tùm temporis occupavit 29. gradum Leonis, quod signũ febrile, calidum & siccũ, quia Mars febrilis, calidus & siccus, simul occupavit, malum statim de peiore crisi mihi præbuit omen: hoc nempe eventu: Primus Indicativus factus 22. Iunij, circa 4. matutinam (Galenicus has horas nunquam dicere poterit, nisi cœlũ observaverit!) ubi Luna cucurrit ad primum semi-

Exemplum criseως astrologicũ.

I. Indicat.

mi-

miquadratum, 14. sc. Libræ, attingendo quadratum Solis, sed absque maleficorũ radiis: adfuit hîc insignis lassitudo. Intercdens incidit in 23. Iunij circa horam 10. ante meridiem, ubi Luna venit ad primum sextilem 29. sc. Libræ, absque indicatione, caruit enim malis radiis. Primus criticus factus 25. Iun. circa hor. 8. p. m. ubi Luna festinavit ad primum quadratum 29. sc. Scorpii, in quadrato Martis: mala hæc fuit crisis, quam ita malam adfuturam ibi in principio statim morbi ominabar, ob conjunctionem; hîc verò in primo sc. critico ob quadratũ, ut dixi Martis; passus est patiens ab horâ octava vespertina angustias per omne noctis tempus. Secundus Indicativus factus 29. Iun. circa 7. matut. ubi Luna venit ad secundum semiquadratum 14. sc. Capricorni, in opposit. Solis & quadrat. Iovis tum existens: Natura heic parùm adjuta, multa ac varia per alvum, item per os sternutando excrevit: unde statim conclusi, febrem non redituram, sicut nec rediit: si rediisset; Æger noster sequentes excepisset positus in criticis, quos dilucidationis gratiâ prorsus addam, donec per integrum circulum cucurrero. Omittam Intercidentes sextiles, cum pa-

1. Intercid.

1. Criticus.

2. Indicat.

rùm

rùm faciant in crisibus. Secundus itaque
2. Criticus. criticus (hæc saltem exempli quasi alieni
gratia addo, cùm patiens noster primus
sit restitutus) incidit in 2 Iulij circa hor. 2.
p. m Luna ad secundum quadratum 29.
sc. Aquarij, in oppositionem Martis &
Veneris, currente: malo equidẽ ob Martem
omine, sed nõ rediit paroxysmus, ob
3. Indicativ. anticipantem bonam crisin. Tertius Indicativus
incidit in 5. Iulij circa hor. 5. p.
m ubi Luna venit ad 14. Arietis in quadrat.
Solis & Mercurii, item opposit.
Iovis. Tertius criticus incidit in 8 Iulii
3. Criticus. circ. h. 8. p. m. Luna ad 19. Tauri in quadrat.
Martis & Veneris. Quartus indi-
4. Indicãs. cativus 12. Iulii circ h. 4. a. m. Luna ad 14.
Cancr. in conjunct. Solis & quadrat. Iovis.
Quartus tand. criticus incidit in 15.
4. Criticus. Iulij circa h. 8. p m. ubi Luna rediit ad suũ
morbi principium 29. sc. Leonis in conjunct.
Solis & Martis. Eodem nunc planè
ordine, in omnibus morborum Acutorũ
exemplis, quæcunque etiam illa fuerint,
pergi potest in semiquadratis Indicantib.
sextilibus intercidentibus, quadratis criticis:
numerando semper à principio Lunæ
morboso, & judicando, usq; ad finem
Conclusio de crisibus. morbi. Audit hinc videtque non nemo,

nisi

nisi qui nolit, (quæ cuiq; sua permittitur noluntas) quantum Luna in dijudicandis morborum temporibus possit, quantum Astrologia in Medicinâ criticâ valeat, quantum Astrologo-Medicus (qualis esse debet Chymicus) alteri ex solis humoribus aliisve judicanti, in judicio medico prævaleat: ibi major certè in criticis diebus, dierum horis, in morborum, per dies horasq; mutationibus, elucet certitudo, quàm heic: maior isthinc penes ægrotos conciliatur amor, fides, existimatio, quàm hinc: nolo tamen, ut laus ista in alterius cedat vituperium, cùm non cuivis liceat, nec cuivis etiam placeat, adire Corinthum! Quod si autem quis contra decorem me quid dixisse heic putârit: is cogitet, me non jurâsse in Præceptorum verba, jurasse auté in veritatem, quæ ut angulos non quærat, (hinc non tacere, sed maiori cum licentiâ proferre debemus, quæ nobis sunt in animo) ita nec metuat pœnas: nec licet nunc mihi, veritatem, per ambagiosam rationem ostendere, cùm ipsa per experimentum, Sole clarius luceat: qui splendor ita multorum, quos & ratio & experientia captivos duxere, oculos obcœcavit, ceu ex profundissimis carceribus egressos, cæcutientes

tientes reddidit lux Solis: ac ceu contra Solem heic calcitraret, qui Solẽ innocentẽ argueret, ita & ibi in veritatẽ injurius esset, qui veritatis innocentiam carperet. Sed veritas ipsa jubet heic os claudere, quæ cùm utroque modo sub Lunâ sit, cupit sub finem & alterum de Luna sermonem. Eloquere ergò porrò mea lingua, quid in Microcosmicis temperamentis, actionibus, nutritionibus, morbis, quid in aliis, vegetabilibus, animalib. mineralibus, Luna possit, quid non possit? quo facto claude rivos: ita fiet! Mirari statim subit, Lunam eamdem, ut in conceptu, ita in partu esse: unde Trismegistica orta regula, quæ posuit: locum Lunæ in partu: congruere cum loco ejusdem in cõceptu, & locum in conceptu, cum loco in partu, hinc vel sola subit cogitatio: Lunam forsan in homine plus posse, quã quod verbis exprimi queat! Ipsa etenim, ut naturâ, frigida & humida est, unde & cœleste suum domicilium in frigido humidoque cancro: cœlestem exaltationem in frigido tauro, elegit: ita in homine temperamentum efficit frigidum ac humidum, phlegmaticum nempe: idq; eò citius, si Lunæ in signo frigido humidoque existenti cõsentiant & cætera ad temperamentorum judi-

Progressus ad Lunaria reliqua.

Trutina Hermetis.

Temperamentum Lunare.

judicium necessaria: Horoscopus sc. (frigidus in Lunaticis & humidus) cum congeneribus dominis & genituræ & horoscopi, planetis eorumque vel ad horoscopum vel ad luminaria, horumq; alterum nunc potiss. Lunam nostram, æquali lineâ directis: si item quadraturæ, ut Lunæ, ita & anni, cum stellis quoque fixis insignioribus, horoscopum stipantibus consentiant: horum omnium exactâ trutinâ, qui bene utitur, vix errare poterit in temperamenti æquipondio, quod si æquale acceperit, æquale habebit temperamenti genus: sin minus, inæquale: quod idem est, ac si dicerem, Eucrasias ac Dyscrasias, quæ stent vel cadant penes cujusque judicium: unde colligo: Physicum temperamenta cogniturum, debere esse Astrologū: sin minus, retrò dixerim: nec cogniturum temperamenta Physicū! Heus Physice, in exemplum breve tecum ibo: quid si cholericus & melancholicus, unâ eademq; decumbāt febri, similibus crucientur symptomatibus: breviter: in omnibus idem sint, idem agant? dic mihi, quisnam sit melancholicus? quis cholericus? resolutio tua forsan erit: *Nescio!* econtrà ex thematibus cœlestib. ego tibi dixero: hunc melancholicum, hunc

Quæ pertineant ad collectionē temperamenti.

Physicus nō debet abhorrere ab Astrologiâ.

Quomodo quis multorum ægrotantium temperamenta naturalia cognoscere queat.

cholericum esse! vicissim: queî fit, quòd (suppositâ una eademq; ægrorū binorū ita tibi adparente constitutione) eisdem propinatis medicamentis, hunc cures, alterum non cures? iterum hæres? causam habe: propinas huic temperamento quid simile, alteri dissimile, quod utrinq; tibi videbatur simile! iterum vides, quid etiam in praxi medica hoc in loco valeat Astrologia, sagacissima temperamentorum indagatrix? sed redeo ad ordinem: dixi Lunaria temperamenta esse frigida & humida, addo jam: esse etiam vagabunda, fœminea, ob Lunam fœminarum dominam, movendi cupidam: unde à Luna capitur signatura motus: ipsa enim intra mensem attingit scopum, quem Saturnus intra triginta, Iupiter intra duodecim annos: Mars intra septennium: Sol, Venus, Mercurius, intra annum saltem attingunt. Ex naturâ istâ actiones emergunt Lunares: libenter sc. versari circum loca humida, libenter piscari, peregrinari, venari, coquere, nere, nubere: hinc Lunares adpellabis omnes illos, quos munia hęc spontê quasi obire videbis: Lunares adpella puellas agiles artificiosissima Veneris Lunæq; opera pertexentes, in quibus expeditiores esse solent, si agi-

Motus Lunæ.

Actiones Lunares.

ſi agilem, juxta Lunam, juxta Venerem, etiam Martem vel Iovem nactæ fuerint, quæ deinceps ingenio pluſquã virili pollere ſolent: unde Lunares appella fœminas, ex tot fœcundis cõjugiis, tot fœcundos liberos, fœcundæ paternæ naturæ, ex fœcundo accepto ſemine, fœcũdos æmulos, procreantes: quod beneficium à Lunâ fœcunditatis matre (benedictionem jam dum Paſtor corã altari dixit, quâ ſicubi noviter deſponſati indignos ſe fecerint, benedictio ad ipſum paſtorem redire, indeq; & is tot procreare liberos dicitur!) proveniſſe putabis, quod eò feliciori cum ſucceſſu fiet, ubi Luna vel cõjugii domina in ſignis fœcundis, vel in fœcundis aliorum conjugii ſignificatorũ Iovis potiſſ. ac Veneris aſpectibus, juxta maiorum item planetarum in fœcundis ſignis poſitum, in ſeptimâ, quæ conjugio dicata domus eſt, reperta fuerit: immò quoties ex adſpectu quandoque fœcundatam in ſeptima Lunam videris, toties multoties & perſonam, cuius hic fuerit poſitus, deſponſatũ iri colliges: hinc oritur illa conjugii pluralitas, duplicitas, triplicitas, quadruplicitas, ſicut per exempla teſtantur hiſtoriæ, quas colliget, qui volet: non poſſum, quin bigam ex

Luna fœcunditas.

iſtis huc adducã, unde de reliquis omnibus par fiet judicium Aſtrologicum. Non infelix certè, nec infœcunda extitit Luna apud quinque illos Nobiles, qui ante ducentos nunc annos, in arce Aentringen/ Tübingæ vicinâ, centum liberos ex uxoribus progenuére : tres quippe Halfingii, Ioannes, Marquardus, Georgius; iſte 20. ille 19. hic 21. reliqui bini, Rudolph von Ehingen/ Hugo à Giltlingen / ille 19. hic 21. ex uxorib. ſinguli ſuis procrearunt liberos. quorum numerus additus conſtituit centenarium : multò felicior, fœcundior, vivacior, apud Nobiliſſam illam à Dalburg/ extitit Luna, cuius fœcunda Arbor, in ſextam uſque Lineam deſcendentem protruſit ſurculos, quos omnes ordine expullulantes vidit noſtra Dalburgia, unde apud Teutones accepit memoriam, quam à fœmina item Lunari, ſat fœcunda, ſibi quaſi in ſolatium, ita recitatam accepi nuper:

(Arbor 1.) (Rami. 1.)
Ein Mutter zu ihrer Tochter ſprach/
(2.) (3.)
Sag deiner Tochter / ihr Tochter gemach
(4.)
Erſchall/ daß ihr Tochter rein
(5)
Kleins Kindlein in der Wiegen weyn.

Qui

Qui rythmi in tale redacti sunt distichō:

Mater ait *Natæ*, dic *Natæ*, Filia *Nata*
Vt moneat *Natæ* plangere *Filiolam*!

Fœcunda eadē arbos erigi posset fœcundo Schütterlino, qui in quinta (penè sexta, si paucos supervixisset dies) lineâ descendente prognatos à se vidit natos. Atque hęc Lunę fœcunditatē in hominibus aperiunt: è contrà sterilitatē ipsi inducere solet Saturnus sterilis & siccus ex signis adspectibusq; sterilibus, consentientibus tamen quæ consentire debent. Idē quoq; Saturnus retrogradus, Lunæ aut Veneri circa septimā vel sextā potiùs, in signis deformibus, sese applicans, majorē sæpius erga viduas, quàm virgines: ancillas, quā filias, amorem excitat: hinc fit, quòd pulcher quandoq; ac dives juvenis, non cum pulchrâ juniori sed seniori deformi ac paupere vidua: non cum pulchra virgine sed deformi ac paupere ancilla, rem habeat! (Astrologicis ita profero verbis: ubi *rem habere* idem est ac consuetudinem & amicitiam alere.) Hæc obiter! Quoad staturam ac formam: Lunares, plerumq; procerioris sunt corpóris, glabræ cutis, albidioris faciei, candidiorum crinium, longioris ac comtioris barbæ: atque hæ simul notæ sunt phlegmatis, quo juxta

Statura Lunaris.

Nutritio.

ſputi copiam abundare ſolent Lunares phlegmatici. Quoad nutritionem: diu iſtam præſtare ſolet Luna, feliciſſimè in horoſcopo, vitæ domo, poſita, ubi bonos bonorum approbo, malos malorum relego aſpectus: licèt è contrà Soli ipſa, nõ procul abſentibus maleficis, juncta, vel brevis vitæ, vel valetudinarios faciat homines: liceat unicum utriusq; dare exemplum: multos novi, quibus unicus, vel ſimilis huic, poſitus: Lunæ ſcil. dominæ horoſcopi, cum Saturno, domino mortis, propè cuſpidem horoſcopi conjunctio, accedentibus Martis ac Solis ad alterutrum horum quadrato vel oppoſitione, (tempus manifeſtante erectione) nutritionem decurtavit: nutritione autẽ qui caret, vel vitâ ipſa jam caret, vel brevi carebit, cùm vivere ſit nutriri, & nutriri vivere, juxta Philoſophum! Aliter ſe res habet cum iis qui diu abſq; cibo & potu vivunt, licèt peculiari ac occulta quaſi ſui nutritione non deſtituti id quod heic nõ decído. Exemplum valetudinarii proponitur in caſu, ubi nato novi-Lunari (muliercularũ etiã judicio pro imbecilli judicato, unde ajunt: Es iſt ein newliechts Kind) Luna (*Soli* ſcil conjuncta, heic enim facit novilunia) circa horoſcopum vel

Vid. Fortũ. Licett. tractat. de iis, qui diu abſque alimentis vivunt.

vel alios cardines] in quibus Luna forſan propriâ in domo habitans adhuc gaudet inſtar ranæ in capiſtro) à malefico, maleſici genituræ horoſcopi aut mortis domini, aſpectu infeſtata, beneficorũ juxtà, Iovis vel Veneris radiis, illuſtrata fuerit: hinc enim Luna licèt ſupprimatur, non tamen omninò opprimitur: idem valetudinarius variique infortunii ſtatus, ex plurium Planetarum ſubter Horizonté, intra potiſſ vel circa ſextam morborum infortuniiq́, (cui XII. carcerũ oppoſita, ex qua ſimul judicium ferri poterit) domum, peregrinatione indicatur & judicatur, domino genituræ vel horoſc. ſimul exiſtente debili. Sed ne extra limites vagari incipiam (vix enim me contineo ob materiæ jucunditaté) paucis adhuc prælibatis redibo ad partes, partiumq; morbos, quibus Luna in Microcoſmo præeſt. Luminaria, ut in Cœlo, ita & in corpore noſtro, primas tenent: cor inter omnia membra principatum tenere non nemo confitetur, inde enim vitam & verã nutritioné (quã à ſolo epate eſſe vix credo) caloris beneficio haurimus: principatum quoque in hoc principe corde obtinuit Sol, Planetarum princeps: Vicariatum à corde accepit cerebrum, hoc enim inſtar

Progreſſus ad microcoſmica Lunaria.

cancellarii, expedit munia, à rege corde imposita: unde intimus ille inter cor & cerebrum, tanquam inter regem & consiliarium, cõsensus, propter communicata actionum consilia, actionum instrumenta: consensus idem in cœlo est inter Solé & Lunam, quæ à Sole accipit radios, ut non tam noctem, cui præest, illuminare, quàm & cæteras sibi communicatas virtutes toti mundo inferre queat: hinc E. & in microcosmo gubernando vicariam suam distribuêre vicem, ut alter ille Sol, cordis: altera illa Luna, cerebri dominio præesset. Cor instar Solis, ut est calidum: ita cerebrum, instar Lunæ, humidũ: ibi vita in calido: hîc motus in humido consistit: Equus (crasso liceat uti exemplo) sine calore, à corde accepto, currum non traheret, rotam currûs sine axungiâ humidâ non moveret: sic cor sine calore suo corporis currum non trahit, rotas corporis, musculos, sine spinæ aut nervorũ irrigatione, sine animalis istius spiritus, in cerebro præparati, axungiâ, nõ movet: dico a. hîc obiter, *Cor movere*, tanquam principale; nam, nî venas arteriasque ad cerebrum nervosque deferret, nî calorem per spiritus mitteret, nì spiritus vitales subtiles, cerebro, instar seminis, ad futuram

Cerebrum Lunare.

ram spirituũ animalium generationẽ, per motũ (qui item cerebro nõ est proprius, sed ab arteriis à corde communicatus!) subministraret, nec corpus quoq; moveretur. (Apage heic trabem ex luscis multorum oculis!) sicut ergò, inquam cor in microcosmo servit cerebro (sensum motumq́; per spiritus imperando) cerebrum vicissim cordi, refrigerium quasi prębendo (forsan plus hęc in tergo, quàm fronte gerunt!) ita & in macrocosmo Sol Lunæ, Luna Soli inservit: Sol vitæ, Luna motui, præsunt. Tanta est in utroque mundo harmonia! tanta sympathia! Solem suprà cordis quoq; affectibus præesse dixi: pariter heic dico: Lunam præesse morbis cerebri: hinc Lunares appello: Epilepsiã (Lunaticum item morbum in sacris dictum, indicio, trahere aliquid simile à Lunâ: cùm juxta Lunæ motũ vel veniat vel abeat, licèt, sed raró, & Solis motũ, annuatim redeundo, observet: observatum insuper, multos novilunares natos factos fuisse epilepticos: quæ & Poëtæ mens est, dum canit: *Morbi Lunares.*

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo, *Serenus.*
Quod fieri nobis suffragia justa recusat,
Sæpe etenim membris acri languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit,

Ipse Deus memorat dubiæ per tempora LUNAE
Conceptum talis quem sæpè ruina profudit.)

Porrò paralysin, apoplexiam, catarrhos suffocativos, dolores capitis ex causâ potiss. frigidâ. Sed cùm Luna juxta cerebrum etiam aliis dominetur microcosmicis partibus, oculo scil. & lateri sinistris, (prout Sol dextris) pulmonibus, ventriculo, intestinis, epati, pudendis præc. fœmineis, vesicæ; facultatibus item gustandi & appetendi: hinc & alia sunt Lunaria talium partium mala: læsiones sc. oculi sinistri (quas multoties evenisse, proprio itid. periculo expertus sum, Lunâ in galaxiâ vel sub stellis nebulosis, à Marte vel Saturno, quorũ isti itidem sinistrum, huic dextrum, adscribunt, velut aures, ita oculos, læsâ: ubi similiter ratione signorum quoq; læsiones fiunt vel ab humoribus, vel ab igne vel ferro, vel aliis incidentib. veluti exemplis constat) asthma insuper, colica, fluxus epaticus, hydrops, apostemata frigida, cancer, (qui vel propter cancros tanquam remedium specificũ, item cancros cœlestes, hospitio domesticoLunam excipientes, sub Lunam referendus erat morbus) obstructiones mesenterij, uteri, lienis, febris alba virginum (die Jung-

frаw-

frau kranckheit / das weisse Feber) pudendorum vitia alia, menstrua potissimũ, quæ secundùm Lunæ quoq; motum variari ipsæ nôrunt mulieres, immò juvenculis sub primam, virginibus nubilibus sub secundam, fœminis adultioribus sub tertiam, senilibus sub quartam Lunæ quadraturas, fluxum istum menstruum, pro diversa tamen naturarum conditione, erumpere solere, observatũm esse scio. *Menstrua Lunaria.*
Quin ipse *Galenus* noster Lunarem hanc menstruorum evacuationẽ ad cœlestem illam causam retulit, dum scripsit: *Luna* igitur fructus auget incrassátq;, animantia implet: adhæc *Menstruorum statum tempus mulieribus conservat:* item *comitialium circuitus* custodit, inde, quòd Solis plus vel minus participat; omnia siquidem quæ facere nata est, ubi falcis figuram repræsentat, languida fiunt, valida omnia, cùm plena fuerit: quapropter & fruges interea adauget, maturatq; celerrimè: mortua corpora *putrefacit*, somnóq; sopitis, sub eius lumine, vel aliter diutius immorantibus, *pallorẽ et capitis gravitatẽ* conciliat. *Gal. 3. dieb. crit.*
Audite iterũ Galenum, astrologicæ medicinæ assertorem, ô Galenici! Annon enim menstruales fluxus (& secundùm & præter naturam) consuetos vel inconsue-

ſuetos, an non epilepſiam, capitis dolores, putredines, alia, hîc ad Lunæ motum, tanquam cœleſtem cauſam, refert? Immò poſſunt ferè ſingula membra, membrorumq́; defectus ad Lunam per ſingula XII. Zodiaci ſigna digredientem, planetarum inſuper ſe, ſuperiorum viribus fotam, referri! hinc tot tantæq́; à Lunâ veniunt mutationes, quibus notandis vix ulla pagina ſufficeret! Hinc miſo aſtrologorum multi, ſoli etiam LUNÆ credunt, quod cæteris credere nolunt: hinc forſan & factum, ut (ob facultatum communisqúe operæ communionem) unum ſpecie ſubjectum vel individuum, variis planetis olim attributum fuerit: quanquam & una eademqúe res, ob diverſas partes conſtituentes, diverſas operationes, in tot vel tot planetarū appropriata dominia diſtribui queat, unde nec mirabimini, qui multa mirari ſoletis, quòd aliquoties *idem quid* ſub diſtinctos planetas nunc recenſitos, retulerim: feci ob cauſam, quàm modò dixi: facere idem & ultrà poterunt, qui ulteriores forſan naturæ ſcrutatores eſſe cupient! Curam aſtralem quod attinet, eam, ſi ullibi, hîc locum habere puto: cùm omniū calculo certiſſimus ſit Lunæ motus, certiſſimus poſi-

Cura aſtralis.

positus, certissimus influxus, omnia certissima, nisi quòd ingenia nostra, cũ ipsâ Lunâ mutabilia, nolint esse certa: quod tam certum est, quàm certum, *esse Lunam!* Quidni E. in morbis Lunaticis potiss. curandis (possunt enim plures huc trahi) Lunæ observemus motum, positum, influxum? quidni herbas appropriatas sub certa Luna collectas, in medicinâ heic adhibeamus? quidnî & in mineralibus, ad optimã medicinam trahendis, Lunam Solemq; trahamus in auxilium? Sed plura hîc dicere Apollo vetat! concludam cum vegetabilibus, animalibus, mineralibus, sub Lunæ dominio existentibus, in quorum recensione expediam me brevi. Sol ut heliotropium, sic Luna selenotropium, ad Lunæ motum quod vertitur, regit: regit & palmam, juxta Lunares ortus emittentem ramos: huc refero herbarum plurimas, partim cum Luna ipsa, partim cum lunaribus morbis similitudinem habentes: quales sunt; *Lunaria*, aspleni species, signaturam morbi lunaris, cancri referens, ideò & ob nomen, (non fortuitò impositum, cum ad Lunam se moveat, exactissimamqúe Lunæ semiplenæ formam pulchra sanè facie referat) & ob morbum, sub Lunam meritò refe-

Vegetabilia Lunaria.

referenda: quin ſpecificã eſſe hanc herbam in curando cancro, teſtatur experientia, quæ, vel ſolius iſtius ſimplicis uſu tam contumacem morbum curatũ fuiſſe, prodidit, opus ſaltem, ut debito cum cæteris lunarib. tempore collecta in medicinam trahatur. Porrò pœonia (quæ capitis ſignaturam refert: cuius item radix menſe Majo ſub Luna plena collecta pro amuleto ſuſpenſa, podagricis ac calculoſis, lunæ ſubjectis, prodeſſe fertur: eſt aliàs & pœonia epileptica ob ſignaturã herba) Aſarũ (cuius folia, ut Lunã, ita & aures, quarũ ſiniſtra Lunæ ſubjecta eſt, figurant. ideò in aurium, aliisq́; Lunaticis quartanariis potiſs. morbis præſtantiſſima herba) *Papaver* capitis figuram referẽs: quod & Germanis, indicio q. ex Luna deſumto, dicitur Monmagen: eſt & *Papaver ſpumeum* inſtar Lunæ plenum!) caltha, nymphæa, (ſecundinalis herba, foliis q. lunatis) arthemiſia rubra, (menſtruorum ſignatura, unde & lunaribus menſtruis egregiam præſtat opem) perſicaria, (cuius foliis cornicularis q. Lunæ imago impreſſa) dentaria (cuius ſquamæ cum Lunâ quid ſimile habent, unde & ſquamata dicitur.) ſcrophularia, uvularia, plantago, dracontium, hirundi-

rundinaria, pulmonaria maculoſa (cum maculis lunaribus comparanda.) hieraciũ, cichorium, (quæ tanquã pudendis ſimilia,&in incantationibus aſtrale auxilium præſtant) ſolanum, hyoſcyamus (plenilunium q.ſignans,lunari item dentiũ dolori,ratione ſignaturæ, conferens.) fragaria (cuius baccę in ſpiritu vini maceratæ, in leprâ, morbo lunari proſunt.) verbaſcum, anagallis, conſolida, naſturtium commune & Indicum, (Lunam foliis & floribus corniculatis ſignans:)praſſica, portulaca, dracunculus eſculentus, beccabunga, cochlearia, fabaria (eriſypelatica & hernioſa herba.) ſedum; quæ ferè omnes herbæ Lunæ figuram quadantenus repræſentant, Lunaribus item morbis curandis accommodatiſſimæ: rapunculus iterum, hermodactylus, cum ſignaturis cancri, in cuius curâ adhiberi debent: Cuſcuta, ficia,thapſia, halicacab. (Judenkirſchẽ/cuius baccę inſtar pomorũ amoris, Lunam plenam repræſentare videntur) Adianthum, roſæ,balauſtia, violæ, cum Lunaribus ſ. cœruleis floribus, cyclaminus (cuius bulbus uterum Lunarem cum circinnis refert, ideò in amatoriis proficuus juxta Theophr.) Tragorchis (referens fœtorem hircinum, bö-

ckelt/

crescit ideò naturæ hirci salacis æmula lunari luxuriei conferens) porrũ (quod scrotum signans, similiter ad amorem lunarem facit: unde in proverbio: etiam porrum excitat Venerem:) grana item florum tiliæ (quæ fœtum utero adnatum signantia, Lunaria sunt cum arbore ipsa) coluthéa (vesicæ lunari proficua: huius folia cum sena videntur habere communitatem: unde in maiori quantitate exhibita etiam purgant:) bryonia (instar Lunæ alicuius vel ventris hydropici, humorib. plena, ideò & hydropicis & hystericis appropriatissima radix) musci varii, ulmus (cum suis foliorũ folliculis hernię lunari conferens) cucumeres, cucurbitę, quę sub plenilunio maximè in hortis gliscũt ob captũ incrementũ, ac more Echinorũ marinorũ implentur amore horum capiuntur muli, ut feles peponum) viscus &poma quercina, juglandiũ viridiũ integra substantia, capitis cerebriq; cũ membranis signatura: hinc&nuclei (quorũ intersecantes cortices, falcẽ cerebri messoriã, nuclei ipsi cũ tangentib. membranis, cerebrum cum meningibus examussim referunt) cum spiritu vini macerati, capiti Lunari, confortantis instar, in doloribus capitis pestilentialibus, imponun-
tur

tur; ad Lunam item refero, ſpecificum capitale purgans, agaricum, quaſi cum cerebro confinitatem nactum: item folia ſenæ purgantia, quæ item ratione ſimilitudinis, Lunaria ſunt: plurima inſuper conſolidantia (Lunæ quippe eſt naſcentes quoq; herbas conſolidare) inter quæ, Lunæ tanquam appropriatũ placere puto agaricum ſaxatile ſeu fiſſile, (videtur Dioſcoridis galactites eſſe) quod in Lunæ gratiam, *lac Lunæ*, Monmilch/ quoque dicitur, Lunarium fæminarum faciei decorandæ, oculis clarificandis, mammillis lacte replendis, papillis rugoſis ęquandis, menſtruis ſiſtendis, cum fructu Lunâ digno conferens. Lunaris videtur & eſſe caſſia cum cannâ, Lunarem effectum utrinq; edens: extracta quippe humores, Lunæ ſubditos, præſertim in Lunaribus mulieribus, dulcia amantibus, leniter extrahit: ſed & ipſa canna pulveriſata ob analogiam cum inteſtinis & fiſtulis, in dyſenteria, quæ & ipſa ob fluxionem inter Lunares morbos referenda, & fiſtulis curandis & alibi prodeſſe videtur. Placet ſub finem in medicamentorum gratiam addere caſtoreum, non tam ob laudem, quam in muliebribus affectibus meretur, quàm ob animal, è quo exſcinditur, Lu-

nare, castorem. Ad Lunam tandem è vegetabilibus aliisq; omnia, ad Lunæ mutationes, in auctione sc. & imminutione, mutabilia, referenda sunt, quæ recensere supersedeo, jam dum enim satis magnum numerum adduxisse videor. Nō possum, quin unum hoc saltem addam: peculiarem cum Lunâ sympathiā ut habent Olivæ & agnus castus: ita antipathiam cum ead. Lunâ alere cæpas Martias, quæ crescente Lunâ in viribus minuuntur, decrescente augentur: simili, quo crescente fisco, decrescit Respubl. decrescente illo, crescit: hæc crescente liene, decrescit corpus, decrescente illo, crescit hoc: id quod sectatores in doctrinâ de liene usurpant. Hæc de vegetabilibus, in quæ tantum est Lunæ imperium, ut satius fuerit mirari illud, quàm dicere! ex animalibus plura sunt, quæ naturæ quasi instinctu Lunæ motum imitari videntur, vel alio in casu Lunam referunt: ut feles, (quibus oculi ad Lunæ mutationem mutantur) porcæ, capræ, agni (Lunares in castitate: est enim & Luna castitatis mater, ceu Iupiter ejusdem pater!) cervæ, canes (quorum plurimi quasi Lunam amando adlatrare cernuntur, plurimi item aquis Lunaribus delectantur, unde canes aquatiles vel aquatici Wasserhund / dicuntur)

Animalia Lunaria.

item

Item Cynocephalus (ad verbum Hunds-kopff) chamæleon, Panthera, (cuius maculæ instar Lunæ mutantur, hinc homines mutabiles cum signaturâ Pantheras dicas) formicæ, quæ Lunaris quasi syderis vires sentiendo interlunio quiescunt integris etiam plenilunii noctibus operantur. Huc pertinent omnia animalia domestica, aliaq; ad cicuritatem redacta, Luna quippe curæ præest domesticæ, reique omni ad hanc exornandam necessariæ, unde œconomiæ Mater adpellari merebitur. Huc referenda insuper puto animalia, partim ἀμφιβίȣ ζωῆσ amphibiæ vitæ vel amphibia (ut vulgò dicuntur) partim æquivocæ generationis, partim mixti coitus; ex istorum numero sunt, castores, terris aquisque degentes (unde sumimus nostrum castoreum, in uteri passionibus adeò laudatum, ut vel solo odoratu suffocationem matricis sistat) taceo antihysterica artificiosa, ex castoreo & lunaribus medicamẽtis aliis confecta. Amphibiæ quoque sunt ranę, quibus accenseri debent, quæ piscibus insidias struunt animalia, e.g. Cati, quos jucundo spectaculo ad aquarum ripas sedere, proximosq́; sibi, non tam pisces, quàm mures aquaticos (Wassermäusse) capere cernas: ex medio numero sunt mures, partim

ex proprio ſemine, partim ex terræ putredine orti: (hi item ſub Lunæ radiis ex antris ſuis furandi animo exſpatiari gaudent, unde mures furum nocturnorum tibi præbebunt ſignaturas) hinc veſpæ, quæ gignuntur ex equis, è quib. in aquis putreſcentibus, & cancri generari dicuntur: apes, ex vaccis vel tauris, ſcarabæi ex aſinis, ſerpentes ex ſpinali hominis medullâ, quæ quaſi in homine adhuc vivo ſerpentis ſignaturam gerit: cur E. non times, ô homo, cùm ſerpentem in dorſo tuo alas? ſpina eadem in Anatomico opere, in aquam injecta, ſignaturam virgæ ſcopalis, cum longo manubrio, refert: cur E. iterum non times, ô homo, qui longam virgam, quâ ob flagitia tua cedendus ſis, intra te alis? Miræ iſtiusmodi metaſtaſeos exempla videmus in corporibus, in quibus vivis & mortuis, varia reperiuntur, animalcula: cur E. iterum non times, ô homo, qui & vivus & mortuus ſerpentes circa ſpinam, & inteſtina ſerpentum inſtar intra te convoluta gignis & paſcis? ſic & muſciliones generantur ex vino: papiliones ex aquarum ſpumis & vermibus: iſti navibus magnâ in copiâ circumvolare ſolent, qui quâ facilitate oriuntur, eadem & occidunt: vix enim præter alas, quid aliud alere

alere videntur: ubi per jocum referre lubet: paraſſe nos aliquando ſplendidum ex his papilionibus acetarium: cùm enim in navi vix aliud præter cruda olera haberemus, eaque jamjam cum oleo aceto & ſale paraſſemus, en inutiles iſtos vermes navales multis myriadibus in acetarium illud incidentes: ibi oleum & opera perdita erant, nec palato ſatisfactũ unde vix abeſt, quin proverbialiter dixero, Acetariũ inter papiliones in navi nos paraſſe, i. e. tempus perdidiſſe, nec ventrem repleſſe. Cupitisne & ultimorum ex vermibus oriundorum papilionum exemplum? en habetote. In vitro aliquando ad Solis radios reſervavi vermẽ in ligno quercino putrido repertum (ein Eychenen Holtzwurm) quẽ acceptis pennis paulò pòſt avolantem vidi! Atqui mirandum hoc eſt, papiliones iſtos iterum verti in vermes, è quib. primum ortum traxerant: mirari & hoc licet in bombicibus (Seydenwürmen) quòd ex mortuo uno putreſcente, tanta juniorum copia demum proveniat! atque hæc viva eſt generationis & corruptionis imago: vermium autem quia mentionem feci, non poſſum, quin Medicinæ gratiâ heic addam: oleum ex quercinis iſtis vermibus per Retortam deſtillatum, cui vitrio-

licam naturam, ob vitriolatam quercus arborem, in vitriolum quoque reducibilem, inesse puto, insigniter conferre in tinnitu aurium! *Sed pergo:* ex ultimis, mixti sc. coitus, animalibus sunt, bufo & coturnix, vipera aquatilis & anguilla (quæ propterea & capite tanquam ob venenũ suspecto, spoliata, inter cibos apponitur) simile dicitur de serpente & lucio pisce. Eiusmodi secreta multa adhuc foventur in naturæ gremio, quæ nos latent: non laterent forsan. si specialis naturæ cursum observaremus vel observare possemus: ex hac autem materiâ nil ultrà heic refero, ne sermo nimis excrescat. Sub Lunam præterea referuntur ex animalibus, quorum quædam prosunt: ut castoreũ: (quod licèt sub vegetabilium finem antè retulerim, propriè tamen huc spectat) adipes item animalium domesticorum, gallinæ (quarum ovorum albumina etiam Lunaria sunt) anseris, anatis: quædam obsunt: quæ etiam ad veneficia faciunt: ut sanguis menstruus, è quo plurima veneficæ artis beneficio an maleficio, philtra amatoria parantur, in quibus componendis, cùm Luna observetur, licitum quinet & erit, ô Miso-Astrologi, in curâ recurrere ad cœlum contrarium! Modum qui nescit, discat: oportet enim nos quotidie

Philtra.

tidie

tidie discere! Est & hyæna hermaphroditica, incantamentis lunaribus obnoxia! Inter animalcula porrò, aves, pisces, sub lunari dominio sunt: scarabæus, qui bicornis, egregium artificium observat, dum pilulam sub terram, novilunii tempore defossam, per mensem lunarem relinquit, redeunte demum novâ Luna, ex erutâ pilula, in aquas devolutâ, novos scarabæos producit: quis E. scarabæum, talia observantem (tauri quoque, lunaris exaltationis signi, signaturam in arte memoriæ obtinentem) lunarem non diceret? quis glomerandi artem hinc inventam fuisse non cogitaret? Aquatiles porrò & paludosi anseres, anates (quos vel ideò lunares dicas, cùm meritò obstreperis & garrulis mulieribus, **deren drey einen Jahrmarck machē/** vel hæ istis, comparari possint) merguli, hirundines, passeres, ardeæ, Lunæ subsunt. Sic & inter vera aquatilia ad lunam referri debent pisces, in genere cum Lunę notis squamati, crasso insuper nimis phlegmate lunari abundantes, in luto quoq; viventes, inter quos itidem multos videas, qui sub noctē ad Lunæ motum & oculos & corpus moveant: hæc omnia certæ suæ speciei tribuere scito. In specie sunt: cæte (qui piscium grandissimus certo sæpius

Aquatilia Lunaria.

Lunæ tempore procellas in mari excitat) carpiones, capitones, anguillæ (è quibus oleum, quod inter aſſandum exſtillat, aurium doloribus valdè accommodum eſt, cùm anguillæ etiã acuto ſint auditu præditæ) his adde aliquot, quos lutoſos eſſe noſti! cancri item (quibus Luna peculiariter gaudet, unde & in cancris domum ſuam cœleſtem obtinuit: ſunt ideò peculiares Lunæ menſes, in quibus cancrorũ eſus ab antiquis edicto huius Knüttelhardi prohibitus fuit;

Menſibus in quibus R, tu non comedito cancER! Lautiorem aliàs præbent eſcã plenilunii, quàm novilunii tempore capti, cùm ibi carnoſiores, hîc macilenti magis ſint, quę variatio oritur à Lunâ!) cõchylia, oſtreæ, teſtudines ſ. cochleæ (quæ longis potiſſimum auriculis præditæ, cùm & acutiſſimi ſint ſenſus, lunarem ſignaturam præbent recuperãdi auditus: hínc ex depuratis illis & cũ ſuccini oleo maceratis, inſigne per retortam vitream contra tinnitum deſtillatur oleũ, quod lunare jure merito dicere queas) torpedines quoq; Echeneides, ranæ, ſub Lunæ radiis muſicam ſuam indefeſſo ore continuantes, quæ à Luna q. quid didiciſſe videntur. Ad conchilia cũ pertineãt murices, etiam hos lunares appellabo, cùm multa fœminea opera antiquitus

quitus ex iſtis parata fuerint: iſtorum e-nim ſanguine tinxerunt lanas colore purpureo, unde Horatius:

Lana Tarentino violas imitata veneno!

Iuvenalis item, ſtulta carnis humanæ ef-fecta refutaturus ait:

ô curvæ in terris animæ, & cœleſtium inanes
Quid juvat? ---- & paulò pòſt
Hæc ſibi corrupto caſiam diſſolvit olivo:
Hæc calabrum coxit vitiato Murice vellus:
Hæc baccam conchæ raſiſſe, & ſtringere venas
Ferventis maſſæ crudo de pulvere juſſit.
Peccat & hæc peccat, vitio tamen utitur!

Ea quæ meritò huc referre volui, cùm plurium lunarium rerum ibi fiat mentio, *Caſiæ* nempe ſeu cinamomi, (de quo eandem in ſententiam Virgilius:

Nec caſiâ liquidi corrumpitur uſus olivi.)

tum *tincturæ purpuraſcentis*: tum *chymici laboris* cum auro: tum perlarum depuratarum, è quib. manile (ut ſic dicam) fœminæ noſtræ parant manibus ornamento,

——— ——— colloq; monile
Baccatum gemmis ———

Sed pergo ad lapides, inter quos Luna tenet lapidem lunarem dictum, Lunæ & motum & formam mutatam referentem: *Perlas*, quas & in Oſtreis quibuſdam Venetis repertas miratus ſum: non creſcunt hæ in mari inſtar corallorũ, ſed in oſtreis *Lapides lunares.*

tamen marinis, quarum conchæ, matrem Perlarum constituentes, certum colorẽ mutatæ, produnt intus perfectarum perlarum tempus, id quod exactè discernere nôrunt nautæ vel alii perlarum collectores, à quibus, velut & à Materialistis (quos vocant) plura quandoque, quâm è libris discere possumus: dicuntur quidem vulgo ex aquæ stillicidiis in conchis generari Perlæ! Sed quid hoc aliud est, quam nescire causam? Dic mihi, quomodo generentur? generantur Perlæ in Ostrearum corporibus: quomodo E. aquæ stillicidia eò veniunt? Quòd si tu cancrum, præduris istis oculis medicinalibus carentem apprehenderis, in eoque vel ex trecentorum aut ter millenorũ aquæ conchiorum instillatione, levissimam saltem micam lapidis, quem oculum cancri dicimus, emicantem feceris, tum credam tibi demum, posse & perlas ex aquarum stillicidiis generari! hoc ubi nõ feceris, & quia nec facere poteris: non credam! licèt aliter res cedat in perlis, quàm in oculis cancri! sed forsan & putes perlas in conchis reperiri, sicut pisa vel ciceres in suis folliculis s. capsulis? non ita: sunt in conchis, sed hærent intra ostreas! vides forsan & Lapides ex aquarum stillicidiis generari, cuius generationis exemplum heic locorum

Digressio de perlis.

rum

rum non procul á Tubingâ noſtrâ habemus? Ergóne putes & generari ſic perlas? non ſic! inſitus eſt oſtreis peculiaris quidam (ita autumo) ſpiritus fixus, peculiaris inſita vis figendi, quâ perlas coagulāt! credet mihi forſan hoc Chymicus, cui nō tam de coagulatione extrinſeca, quàm de intrinſeca coagulandi vi conſtiterit. Forſan E. idem heic ſit, quod in materia aliorum lapidum, in animalibus generatorū, ut in lapide Bezoar, cuius fundamentum eſſe credo contrajervam, cuius reliquias in diſcuſſo lapide pretioſo cernere licet: dicendúmne herbam hanc fundamentalem pretioſioré & efficaciorem eſſe lapide ipſo? dicendúmne lapidem ipſum ex herbæ iſtius aliorumq́; alimentorum reſiduo generari? dicendúmne & ineſſe quid perlis, quod ab oſtrearum alimento ſit reliquū? ſed heic tacendi locus eſt, quia naturam ignoramus, utut Naturales eſſe velimus! Lunaria ſunt & *corallia*, in maris fundo inſtar arborū creſcentia, quæ cum hamis peculiarib. piſcando extrahuntur, extracta è mari adhuc præmollia, paullò pòſt indureſcunt. Mirabimini forſan, poſſe & corallia & perlas in vitris chymicis creſcere! credite, qui nondum vidiſtis: mihi nuper quaſi aliud agenti fortè fortuna ita creverunt & perlæ & corallia! addo

Cōſule Corteſ. in Miſcell. Medd.

Corallia.

Hinc chymicorum arbores aureæ & argenteæ.

addo unum de colore: non memini apud Physicos me quid vidisse de coralliis nigris: sed præter vulgaria illa rubra, minus vulgaria alba, rarissima hodie etiam dantur nigra! rarum apud magnates nostros donum! nec dubito, inesse nigris illis corallis tincturã occultã contra melancholiã: addo aliud corallia cùm lunaria sint, epilepsia item morbus lunaris, magnam quoq; corallis inesse vim antepilepticam, quę si ullibi, in tinctura & oleo corallorũ consistat: corallia insup cũ manifestissimã sanguinis, venarumq́; sanguine repletarũ signaturam habeant, mirabile quid alere, ꝙ ad recreandos sanguinis spiritus valeat: adeòut vel cruda de solo collo gestata, vel præparata, in magisterio usurpata, egregiè non tam purificent sanguinẽ, quàm & cõtra spectra ac phantasmata faciant. Sed sufficiat ꝙ obiter dixi. Tenet porrò Luna lapides, cristallos, berillum, marcasitã argenteam: tandem & è metallis ead. Luna nostra regit *Argentum*, ꝙ, tanquã *chymicorũ* Luna, mirando lumine, reliquorũ medicamentorũ noctem illuminat: hæret n. & in hoc aliqua ępilepsiæ, tanq̃ in specifico antepileptico cura! repetitũ heic volo, quod suprà indigitabã: debere chymicos sub certis astris elaborare certa sua metalla: debere fundere, coagulare, vel aliud quid,

Corallia nigra.

Argentum Lunarie.

quid, quod utile visum fuerit, agere, ut morbis specificis, specifica astralia invenire queant remedia: id quod & heic in Luna locũ habebit: nec erunt hæc de nihilo, cũ jam dum pateat, quid vulgaria decocta, syrupi, enemata, pilulæ in morbis exstirpandis possint, quid nõ possint?ècontrá, quid, quotidie graviores redditi morbi, quotid. novi requirant? sed de his sat esto! *In gratiam transmutationis Lunæ metallicæ in Solẽ, observare, si lubeat, poteris, Lunam cœlestem in Leone, horã a Solis. In Saturnum, Lunæ capricornũ vel aquariũ, horamq; Saturni: in Iovẽ, Lunæ signũ sagittarũ, horam Iovis: in martẽ, Lunæ scorpium, horam Martis: in Venerem, Lunæ librã, horam Veneris: in Mercurium, Lunæ geminos, horam Mercurii: sed non licet ire foras.* Mons Lunæ chiromanticus, est in musculo, pollicis contrario. Sigilla Lunæ ap. Antiqq. valuerunt ad itinera & morbos Lunares. Fodienda autem sunt talia sigilla Lunaria, Lunâ in domo suâ cancrosâ, vel exaltatione taurinâ, forti existente: postea, monente Theophrasto, singula (id quod de omnibus planetarum sigillis intelligendum) suis debiti coloris pannis insuta, de collo gestanda. Atque sigilla hæc, ut semper mihi sub Planetis fuêre ultima, ita & nunc eorũ demmet coloribus, ceu certi coloris cerâ, Discursui huic SIGILLUM SUPPRIMO.

Transmutatio.

Mons Lunæ.

Sigillum Lunæ.

Colores & usum vide apud. Theophrast.

Optas-

Optassem equidem, ut eâdem limâ sigillorum materias, Saturninā plumbeā: Iovialem stanneā: Martialem ferreā: Solarē aureā: Venereo-cupreā: Mercurialem, in Mercurio vivo vagabundam: Lunarem, argenteam: expolire penitus licuisset: sed video asperâ priori rauci clangoris limâ satis raspatas vobis aures: tinnitu ergò laborabitis forsan et nauseâ, ex elleborinâ hac materie contractâ: absq; tinnitu & nausea ubi eritis; audietis, si placebit, & alterius, sed asperè raspātis limæ terrestris clangorē: gustabitis, modò nauseabundi non eritis, raspatas metallicas terrestrium planetarum scobes. Colligite interim, si vultis excussas nunc scobes priores, quas, pultes facturi, terite prius & molite: ego enim nec agilis fui tritor, nec subtilis molitor: sed asperus raspator: jamq; jam suspenso ad securim ligno serrator abibo domum!

Asq; hæc ita sunto (Benivoli Favitores) quæ pristina ingenioli mei avicula, tenui cantu proferre voluit: Luscinia *forsan ubi audierit canentem, dicet, cecinisse, vel rauco gutture miserum rudisse* Asinum! *Id quod ipsi Iudicium permittit obscura mea avis, quæ non cecinit, ut ab alaudâ vel ingeniosissimâ lusciniâ audiretur: sed pro more suo, in altum levavit caput, ut inter miseram hanc cantiunculā, de ulteriore Ingenij cibo sibi prospiceret, quem ubi spontè in largâ Eruditorum sylvâ invenire non posset, ostiatim saltem, ad huius vel illius Ingenij magni fores cantillando, sibi expromi exponiq; peteret, exactiorem judi-*

cij Panem! *Vos omnium ordinum, quotquot estis Patroni, quotquot favitores, qui audiistis, auditis, audietis hanc cantilenam, liberè quæso judicate, quid in B molli, quid B duro, quid boni, quid mali, heîc cantum fiet: Si cantus forsan in* la mi, *misero clamore heic exiisse vobis visus fuerit: componite quæso, vel compositorem monete, ut alio tempore in* SOL RE, *alacriori tono, exeat: Mihi certè, qui aviculæ hunc sonum direxi, difficile fuit, & componere & regere Musicam, cùm pauca viderim tonorum vestigia, quibus tutò insistere potuerim, unde forsan & rectiùs egissem, si, cum Vulpeculâ cautum me vestigia tanta deterrere passus, omninò tacuissem. Sed factum est: immò omne quod feci, ad Vulcani latus, quod vacuum feriari quandoq; vidi, feci. Opifices ad ignem stantes, ut ferrum vel aliud, eò alacriori cudant malleo, agiliori exerceant limâ, canendo sæpißimè tempus laboremq; solantur & levant: Sic ad Vulcani ignem, qui laboriosus pronuper steti, non quidem instar opificis cecini,* (sacrum *enim heic opottet esse* silentium:) *futurum tamen hunc, quem nunc, quibus auribus, quibus animis, nescio, excepistis, cantum, silente juxta fornaces ore ruditer præmeditatus sum. Duri quandoq; fuerunt carbones, duri fumi, duri spiritus, quæ omnia cum jocundâ hâc molliq; materie, emollire placuit. Non invidebitis ergò, qui duris mollia, amaris dulcia, injucundis jucunda forsan miscui. Suscepta hæc*

omnia

omnia in temporis, studij, ingenij, ap. asperum Vulcanum, recreandorum gratiam! Neminem, quod sciam, studio offendere volui, sed quod volui voluit veritas : *hæc si non omnes juvabit, recreabit forsan ob materiæ, circa quam versata fuit, novitatem jucunditatem : difficultatem pulchritudinem: solent quippe nobis quæ nova sunt, simul jocunda: quæ difficilia, pulchra esse: Veritas ista quibus placebit, inimica, spero,* Iudicia *domum relegabit: Veritas, ubi consentientem reperierit neminem, ipsa secum sola, instar anguillæ in luto, hærebit: consentient ipsi forsan, qui vel* experientiæ *soli facient* fidem: medicina *enim* non semper patitur rationes; *quæ ubi penetralia sua vel tandem nobis aperirent, aperirent simul* januam *forsan* ad perfectionem! *sed non licet in mundo reperire* hoc summum bonum!

Ita cantillavit *alauda:*
quæ cum suo —— tirili tiritirlire tractim
repetiit nidum; *postquam*
ita cecinit, ita dixit:
valete & favete!
ô BONI!

Cum Erratis & Indice, *benevolus Lector,* agat, ut velit.

FINIS.





